Quod felix faustumque esse jubeat
SUPREMUS SUBDITORUM DOMINUS!

EXERCITIUM ACADEMICUM

De

SUBDITIS

Seu

PARENTIBUS,

Quod

IN ILLUSTRI ET FLORENTISSIMA SALANA
PRAESIDE
VIRO
AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO ATQUE PRÆCLARISSIMO,

DN. CASPARO POSNERO,

PHILOSOPHIAE NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO LONGE CELEBRATISSIMO, ET p.t. INCLUTI COLLEGII PHILOSOPHICI DECANO SPECTATISSIMO,
FAUTORE ET PRAECEPTORE SUO AETERNUM DEVENERANDO,

Publico ac placido eruditorum examini subjicit


CAROLUS CUNRADUS ab Heugel/

EQ. SILESIACUS, Auctor & Respondens.

In Acroaterio Philosophorum
Ad diem XIIX. Martl, horis antemeridianis.

JENAE, Charactere JOHANNIS WERTHERI,
ANNO M DC LXIII.





ILLUSTRISSIMO. ET. CELSISSIMO. PRINCIPI. AC. DOMINO.

DOMINO.

GEORGIO. WILHELMO.

IN. SILESIA. DUCI. LIGIO-BREGENSI. ET. WOLAVIENSI.

PRINCIPI. AC. DOMINO. MEO. CLEMENTISSIMO.

Præsentes hasce pagellas, Studiorum Academicorum primitias,

In subjectissimæ devotionis cultum

humillimè dedico ac consecro

CAROLUS CUNRADUS ab Heugel/
Auct. & Resp.

I. N. J.

DISSERTATIONIS POLITICAE

De

SVBDITIS

§. I.


Mnem ſocietatem civilem conſtare ἐξ ἀρχόντων καὶ ἀρχομένων, ex imperantibus & parentibus, notum eſt, & ſæpiùs monitum ab Ariſtotele, cumprimis Politic. ſeptimô. In Republicâ verò *Cap. XIV.* imperantes, abſolutè ſic dicti, ſunt *ſecundum* illi, penes quos eſt τὸ κύριον τῆς πό- *ſectionem* λεως, civitatis principatus, & ſummum in eâ ubique jus, *Nobiliſs.* ſummaque poteſtas. Et nonnunquàm quidem tales *Conringii.* ἄρχοντες plures ſunt, nonnunquàm verò ſaltìm unicus, præter quem cœteri, qui in civitate iſtâ vivunt omnes, dicuntur ἀρχόμενοι, & quidem, prout variat civitatis forma, vel βασιλευόμενοι, vel ὀλιγαρχούμενοι, vel πολιτευόμενοι. Ex utrôque verò perſonarum genere eſt atque conſtat omnis Reſpublica, perduratque tamdiu, quamdiu mutuus utrorumque inter ſe reſpectus integer permanet. Quâ de causâ etiam Politicis utrumque ſolet eſſe curæ, & non modò de imperantibus, ſed & de ſubditis diſſerunt, & utrorumque naturas, officia, & quæ ſunt conditiones aliæ, ſollicitè quærunt ac explicant.

II.

Nobis in præſenti animus eſt, de Subditis paucula commentari, & certis theſibus comprehenſa, publico

 eru-

eruditorum examini atque censuræ exponere, quùm nec horum theoriam suâ utilitate ac laude destitui putemus. Quin eorum natura ubi rectè cõstiterit Politico, meliùs etiam constare poterit tùm ratio imperandi ipsis, tùm & alia ad gubernationem Reipublicæ cognitu necessaria. Quemadmodum enim Medici, sanitati corporis qui provident, de omnibus hujus, minimis etiam partibus, quin de sanguine, spiritibus, & excrementis, quæ alias inter partes propriè dictas non numerantur, disquirunt, ut totius constitutionem & modos operandi plenè cognoscant: ita similiter Politico, cui non hominis, sed integræ civitatis vita atque salus curanda, de singulis ipsius particulis videre incumbit, ut cujusvis officium nôsse, & postmodum cuique etiam consiliô suô subvenire possit. Ordiemur autem hanc tractationem, secundum literatorum præcepta, à nomine. ἀρχὴ γὰρ τῆς παιδεύσεως, ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις. *Initium doctrinæ est nominum consideratio*, inquit Socrates apud Arrianum.

Lib. I. de Epict. Diss. cap. XVII.

III.

In quâvis autem voce significativâ, quę aliunde deducta est, attendenda sunt duo: 1. id, unde ad significandum est imposita: quod aliàs dicunt ἔτυμον, *originationem seu derivationem*. 2. Id, ad quod significandum est imposita: quod vocari potest *nominis notatio vel significatio*. Quæ quidem distincta esse, primus eorum auditus satis docet, optimè autem præ aliis explicat Thomas de Aquino, in ordine Scholasticorum celeberrimus, & vulgò *Doctor cõmunis* dictus, Summâ suâ Theologiæ. Quæ duo proinde etiam de præsenti nomine videbimus, & quidem brevissimis, quùm nullâ opus videatur prolixitate, nec ulla intercedat controversia. Dicitur scilicet *subditus* à verbo *subdo*, quod idem quod *submitto, subjicio*. Unde

Part. I. Qu. XIII. artic. II. ad 2.

Unde & *subditum* propriè idem, quod *subtus immissum, suppositum, subjectum.* Quô sensu Tullius alicubi dixit *effervescere subditis ignibus.* Deinceps verò traductum fuit ad denotandum id, *quod in alterius locum est positum vel constitutum.* Ita enim JCtis *subditus partus* est, qui aliàs & *subpositus* dicitur, h.e. *qui à muliere, quæ peperit, est sublatus, & alteri appositus.* Item *subditum testamentum,* quando verô testamentô occultatô aliud clam apponitur. Et *subditus judex,* qui in locum alterius ponitur. Apud Politicos *subditus* quilibet vocatur, qui alterius ut superioris potestati submissus, ejus jussui obtemperat, aut obtemperare tenetur, (sic enim *servum subditum domino,* & *filium patri subditum* dicimus) frequentiùs verò, & si absolutè ac sine additô id nomen ponitur, ille, *qui in civitate degens vel habitans, potestati vel summæ, vel etiam subornatæ est subjectus.* Græcis dicitur ἀρχόμενος, sicut ex adversô qui præest ei & imperat, ἄρχων. Latinis aliquando subditi etiam *parentes* appellantur, à verbô *pareo,* quod æquipollet τῷ *obtempero, obedio.* Germanis audiunt Unterthanen/Untersassen. II. de Nat. Deor.

IV.

Ubi quidem statim notanda eorum differentiâ ab aliis, qui subditi etiam videntur, sed reverâ non sunt. Scilicet vivunt quandoque in civitate *hospites,* qui in eâ nec domicilium constitutum habent, nec quoque constituere intendunt, sed ad tempus saltim morantur, mercaturæ, aut alterius negotii gratiâ, quô expeditô iterum abeunt. Hodiè communiter vocantur *peregrini:* hodiè, inquam, quìm, Festô docente, hôc nomine olim *hostis* fuerit appellatus. Solent etiam vocari *extranei,* licet hôc nomine etiam quivis, extra civitatem natus, significetur. *Extranei* (scribit P. Gregorii) *à regno & civitate dicun-* Lib. IIX. de V.S. Lib. IV. de Republ. cap. IV.

cuntur peregrini. Qui enim ex gente nostrâ oriundus non est, ille extra patriam propriam cùm sit, apud nos peregrinari dicitur, ideò & peregrinus est. Illi peregrini, extranei dicuntur. Et addit idem: *In Galliâ isti extranei & peregrini dicuntur albini, h.e. alibi nati, vel meliùs aulici, quasi advenæ, mutatione modicâ literarum.* Hospites a. sunt e.g. operarii & mercatores, ex aliis locis in civitatem venientes, & ibi ad tempus commorantes. Quos singulos quidem ad civitatem istam nil attinere, vel ex eô patet, quod sive adsint, sive absint, ea constet. Subditi autem sunt alterà civitatis pars integralis, abs quibus proinde civitas esse nequit. Et licet teneantur potestatis imperio, cuique se submittere cogantur, id tamen eô saltim fit respectu, quatenus in civitate istâ morantur, aut fortè etiam ex eâ commodum aliquod accipiunt. Quô tempore quidem ipsis ad proprium arbitratum non vivendum, multò minùs civitatem turbare licitum, sed potiùs illorum, penes quos jus & potestas in civitate est, voluntatem attendendam, & simul etiam pro perceptis commodis aliqua onera subeunda esse, vel ipsum jus naturæ (de æquô ut nihil dicamus) videtur præcipere. Communis intereà loquendi usus populique consensus ipsos ex numero subditorum eximit.

ibid.

V.

Deinde sunt alii, Romanis *Incolæ*, Græcis πάροικοι dicti, (quod tamen nomen etiam alios habet significatus legendos cumprimis apud Petr. Gillium, Dictionario Græco-Latinô) qui in alienâ urbe vel Republicâ habitant, & domicilium vel proprium possident, vel saltim mercede conduxerunt. Qui ultimi priscis, probri vel odii causâ, communi nomine *inquilinorum* audiebant. Unde Sallustius in Ciceronem alicubi invectus, vocat

in hâc voce.

cum

cum *inquilinum civis urbis Romæ*. Incolas verò illos peregrinis ferè æquiparatos fuisse, testatur illud modò nominati Tullii, quando inquit: *Peregrini atque Incolæ officium est, nihil præter suum negotium agere, nihil de alieno inquirere, miniméque esse in alienâ republicâ curiosum.* Itemque istud Apostoli: ἄρα οὐκέτι ἐστὲ ξένοι καὶ πάροικοι, ἀλλὰ συμπολῖται τῶν ἁγίων, καὶ οἰκεῖοι τοῦ Θεοῦ. Quod ita vertit vulgatus: *Nempe igitur jam non estis hospites, & inquilini, sed concives sanctorum, ac domestici DEI.* Sed latam esse differentiam inter *incolam & inquilinum*, & illum civem non esse, hunc autem civem esse posse, benè notat paulò antè laudatus Gillius, & proinde sic exprimit istum locum: *Quare non estis utique ampliùs peregrini & incolæ, sed sanctorum cives, & domestici DEI.* Megalander noster Lutherus reddidit germanicè: **So seyd ihr nun nicht mehr Gäste / und Frembdlinge / sondern Bürger mit den Heiligen / und Gottes Hausgenossen.** Et tales πάροικοι ac incolæ Ægypti, ut expresse Philo, Philosophus Judæus † testatur, fuere quondam gens Israëlitica, nec non Loth cum suis, Sodomæ *, & in urbe Gethaim, Berothitæ, pars aliqua Benjamitarum †, suntque & hodiè in nonnullis provinciis Germanicis Judæi. Apud Romanos olim ita habitabant Aricini: utpote *quibus*, referente Livio *, *ex Aricia per Hetruscos ejectis, Romæ locus fuit datus ad habitandum, quem deinde Tuscum vicum appellârunt.*

1. offic.

Ephes. II. v. 19.

l. cit.

† Lib. I. de vitâ Mos.

* Genes. XIII. v. 12. & cap. XIV. v. 12.

† II. Sam. IV. v. 3.

* Lib. II.

VI.

Hi quidem à peregrinis seu hospitibus manifestò distant discrimine, dum in Republicâ domicilium constitutum habent, & etiam, ad imperantium præceptum, tributa solvunt, vel id genus alia onera subeunt. Attamen quatenus saltim ex domiciliô propriâ voluntate qua-

quasi electô dicuntur, à Politicis inter veros subditos non solent censeri. Subditorum enim numerus, ut initiô monuimus, facit alteram civitatis atque Reipublicæ partem. Jam autem multæ dantur civitates, quæ tales incolas non habent, quum tamen nulla esse possit, quæ subditis careat. Deinde in bonis sive rectis Rebuspublicis,

IIX. Ethic. cap. XII. & III. Polit. cap. X.

(quas primò meritò attendimus, cùm propriè loquendô, solæ veræ Respublicæ, cœteræ verò malæ sive corruptæ, non tàm Respublicæ, quàm harum φθοραὶ καὶ παρεκβάσεις *corruptiones ac transgressiones sint*) finis est salus & bonum publicum. Notumque est, eos, qui imperantes dicuntur, tales non ideò esse, ut suæ potestati subjectos alios teneant, iisque imperent, sed ipsorum imperii finem esse salutem, quam diximus, publicam. Proinde subditi ibi non sunt, quorum bonum non curatur vel quæritur ab imperantibus. In corruptis verò Rebuspublicis utut non publicum, sed privatum imperantium intendatur bonum, attamen quùm esse ac durare non possint, nisi adfuerint subditi, simul & horum boni atque vitæ ut aliquis, saltim secundariò, habeatur respectus, videtur necesse. Jam autem *incola* quis saltim ideò est ac dicitur, *quod in regionem suam domicilium contulit*, ut definivit olim Pomponius.

l. 239. §. 2. de V. S.

Intereà verò commodi vel vitæ ipsius nulla ab imperantibus habetur ratio, nec præter tutelam & defensionem jurium aut commodorum aliorum fit particeps. Et quoniam etiam ex liberâ voluntate eò se contulit, solummodò vitæ & habitationis gratiâ, abit iterum quando lubuerit, nec ad alia onera vel obsequia trahitur aut tenetur præter ea, ad quæ primùm, cum habitationem quæreret, se obligavit; nisi fortè vi imperantium cogatur; quod verò si fit, fit per accidens.

VII.

VII.

Subditus itaque, strictiùs loquendo, est, *qui civitatis, in quâ habitat, pars est, & Majestati tàm ratione personæ, quàm &, si quæ habet, bonorum subjicitur.* Unde & vicissim civitatis illius, (cumprimis, si in eâ finis sit commodum publicum) juribus atque privilegiis (in quantum quidem permittit nota ac conditio subditi) fruitur. Quidam volunt, *frui eum omnibus Reipublicæ juribus ac privilegiis.* Cujus sententiæ etiam est CL. Henningius Arnisæus, doctrinâ suâ Politicâ, subditum ita definiens: *Veri & proprii subditi sunt partes Reipublicæ, quæ summæ potestati quoad omnia sua obligantur, pro quô omnibus juribus & privilegiis Reipublicæ vicissim fruuntur.* Qui idem in antecedentibus de conditionibus incolarum differens, ait: *Quanquam Philo incolam ab indigenâ non multum differre sentit, tamen nondum utitur omnibus civitatis juribus, nec politevma possidet, nec particeps est reipublicæ, nec ad publicas deliberationes admittitur, sed tantùm tenetur civilia munera subire.* Quibus, quantum colligimus, hæc tribuit subdito: (1.) *ut utatur omnibus civitatis juribus ac privilegiis*; (2.) *ut politevma possideat*, (3.) *particeps sit Reipublicæ*, & (4.) *ad publicas deliberationes admittatur.* Quæ verò num in ratione subditi includantur, non immeritò dubitamus, cùm de communi aliàs Politicorum consensu *subditus* & *civis* differant, & ne quidem videantur ea singula singulo civi competere. Sanè, si vim nominis (quæ aliàs non exiguum solet habere momentum) respicimus, *subditus* nullum notat alium, quàm *qui potestate alterius tenetur.* Ubi licet necessarium forte sit, ut *ab eô, cui subjicitur, vicissim aliquid accipiat*, & sic *civitatis, cujus pars est, juribus fruatur*; ut tamen *omnibus plenô modiô fruantur, aut frui debeat*, inde nentiquàm

Lib. I. c. XII.

ibid.

quàm videtur ſequi. De quibus verò, & cumprimis etiam *ſubditi* à *cive* differentiâ, brevi plura dicemus. Nunc hoc addimus, ſubditos tales, ſi in eadem civitate nati & educati fuerint, vocantur priſcô nomine αὐτόχθονας, Romanis *indigenas*, quaſi *inde natos* : ad diſtinctionem ab iis, qui in eam ex aliis locis venerunt, & vocari ſueverunt olim propriè *advenæ* & *convenæ*. Nam omnes, qui habitant alicubi, aut ibidem nati ſunt, aut aliunde acceſſerunt. Illi ſunt *indigenæ*. Hi verò, ſi ex unô locô venerint, ſunt ſecundum proprium & communiorem nominis ſignificatum (nam nonnunquàm etiam hoſpites advenientes & iterum profecturi ſic dicuntur) *advenæ*.

V. Tuſcul. Sin ex pluribus atque diſtinctis, *convenæ*. Sic Cicero ultimô hôc nomine uſus, ubi de vitiis & miſeriâ Dionyſii Syracuſanorum Tyranni differit, ait inter alia, cum, cùm honeſtô locô, bonisque parentibus natus fuerit, abundâritque & agnatorum familiaritatibus, & conſuetudine propinquorum, more etiam Græciæ quosdam adoleſcentes amore conjunctos habuerit, eorum tamen nemini credidiſſe, ſed corporis cuſtodiam commiſiſſe aliis, quos ex familiis locupletorum ſervos delegerat, & *quibusdam convenis*, & feris barbaris. Sic etiam Plinius *Hiſt. Nat. lib. V. cap. XVII.* de gente Eſſenorum loquens, ſcribit: *Gens ſola & in totô orbe præter cæteros, mira, ſine ullâ fœminâ, omni venere abdicatâ, ſine pecuniâ, ſocia palmarum. In diem ex æquô convenarum turba renaſcitur, longè frequentantibus, quos vita feſſos ad mores eorum fortunæ fluctus agitat.*

IIX.

Placet hîc addere, quæ de variis nominibus his, hôc *l. 1. §. 22.* locô occurrentibus, diſcurrit paulô antè laudatus Petr. Gregorius. *Incolæ,* (ſcribit) *alienigenæ, & extranei quidem ſunt à loco, ubi reſident: ſed is incola dicitur, qui in aliquam*

liquam regionem, non suam scilicet, domicilium suum contulit. Græci vocant πάροικον, vel μέτοικον. Differt autem ab hospite incola, quod incola elegerit domicilium in locô, & ibi habitator sit. At hospes non dicitur habitare, sed tantùm hospitari. Atque tantum interest inter habitatorem & hospitem, quantum inter domicilium habentem & peregrinantem, ut ait Ulpianus. Sed nec ille incola dicitur, qui non, ut domicilium habet, negotiandi tantum causâ pergulam tabulamve habet: Sed potiùs hospes, & tamen non advena: quia advena dicitur, qui advenit, mox inde profecturus. Advenam Græci ἄποικον appellant, domo profugum, colonum advenientem, non πάροικον, quia domicilium, sedesque fixas non habet. Plura alia subjungit, quæ verò mittimus, apud ipsum, si cui libuerit, legenda; quanquàm aliqua eorum etiam non omninò probanda videantur.

IX.

Quùm autem ex dictis constet, subditi nomine præcisè innui *subjectionem atque obedientiam*, oppidò liquet, multum differre *subditum* atque *civem*. Civis scilicet à *civitate* nomen accepit. Hæc autem, ut notum est, societas quædam est, & quidem τελειοτάτη seu perfectissima. Civis ergò sic *socium multitudinis istius* notat. *Socium*, inquam, *non subditum vel subjectum*. Quin quùm is demum socii appellationem verè mereatur, qui salutem societatis per se promovere cupit & potest, (id quod exemplô à navigantibus petitô pulchrè declarat Aristoteles) nemo ut civis dicatur dignus erit, nisi qui tali facultate polluerit, quâ finem civitati propositum καθδύναμιν adjuvare possit. Inter ea verò, quæ civitati incumbunt, & maximè necessaria videntur, sunt cumprimis tria hæc: *publicæ deliberationes, magistratus*, atque *judi-* III. Polit. cap. IV.

 cia.

IV.Polit. cap.XVII. cia. Tres (inquit idem Aristoteles) *sunt rerumpublicarum partes, quibus præclarè constitutis necesse est & ejus species eò ipsò inter se dividi, quò singulæ hæ partes differunt. Atque ex his tribus partibus una quidem versatur in publicarum deliberationum facultate: secunda in Magistratibus: tertia in judiciis.* Quibus de causis *civis* etiam definitur τῷ μετέχειν κρίσεως καὶ ἀρχῆς, *participatione judicii ac imperii.* III.Pol.c.I. Scilicet, ut vulgò ajunt, est *socius multitudinis, qui particeps est suffragiorum, & juris de Republicâ statuendi.* Nulla interim in ejus appellatione vel ratione habetur *subjectio*, sed indifferens quasi ipse est ad utrumque, ἄρχεσθαι καὶ ἄρχειν, *parere imperio, & imperare.* Quod quidem cumprimis notandum est, optimè verò explicatum legimus iterum ab Aristotele, dum inquit, ibid.c.IIX. *Civis communiter quidem est, qui particeps est imperandi & parendi: in singulis autem rebuspublicis diversus: ad optimam verò, qui vim & potestatem eam habet, atque id eligit, ut pareat alieno imperio, & imperet ad vitam ex virtute.*

X.

Equidem multos hîc errare, subditumque cum cive confundere cernimus, cumprimis etiam Joannnem I.de Republ. cap.VI. Bodinum, obtrectatorem illum doctrinæ Aristotelicæ insolentissimum, (quemque ideò, ut & ob iniquitatem quâ est in adsertores jurium imperii nostri Romano-Germanici, lepidô anagrammate ANDIUM SINE BONO Lib. XIIX. obs. xxxiix. appellat Nobiliss. Cujacius) dum definit civem (absurdè profectò & contradictoriè) *hominem liberum, aliena potestati subjectum.* Quâ eâdem sententiâ correptos & veterum quosdam fuisse, intelligimus ex illis Aristotelis, III.Pol.c.I. quando inquit: ὁ δὲ πολίτης, οὐ τῷ οἰκεῖν που πολίτης ἐστί. *Civis autem, non quia alicubi habitat, civis est. Inquilini enim*

enim & servi, communicant sedibus. Neque qui participes sunt juris sic, ut possint & in forum vocare, & litigare. Hoc enim licet etiam iis, qui communicant vi pactorum. Etenim hac his quoque concessa sunt. Multis igitur locis neque horum perfectè inquilini participes sunt, sed necesse est ipsis actorem tribuere. Quare imperfectè aliquo modo participes sunt hujuscemodi communionis. Quos proinde sic benè confutavit Aristoteles, plura alia subjungens, quæ excerpere & adducere cùm non videatur necessarium, intermittimus. Bodino verò quid respondendum sit, optimè docuit Mich. Piccartus, Aristotelis interpres dexterrimus, qui videri potest. *Comment. in d. l.*

XI.

Nos, ut finiamus denique hanc historiam, quemadmodum jam sæpies diximus, subditi nomine nil nisi *subjectionem atque paritionem* contineri existimantes, per id, si communiùs & magis propriè ita dicitur, atque à nudô incolâ & hospite distinguitur, eum intelligimus, *qui civitatis, cujus subditus vocatur, & in quâ habitat, pars est.* Qui quidem sic necessariò tùm ratione bonorum, quæ possidet, tùm & ratione suæ personæ Majestati est subjectus, & non incommodè definiri poterit *is, qui cùm civitatis pars sit, summæ in eâ potestati secundum se subjicitur.* Ubi per prius membrum, quô *pars civitatis* dicitur, convenit cum imperantibus; per posterius verò ab iis distinguitur, cùm non imperet, sed *superiorum imperiô teneatur, eorumque jussu capessat.* Et quidem quatenus iis *secundum se*, h. e. *ratione personæ* subjicitur, distinguitur ab incolis, & aliis, qui bona saltim in civitate quadam dum possident, etiam eorũ solorum respectu, non autem simul ratione personarum, potestatis agnoscunt imperium, ideoque veri & propriè dicti sub-

diti non sunt. Ex istis verò subditis strictiùs & magis propriè dictis, & imperantibus, tanquàm duabus partibus necessariis, constat & integratur omnis Respublica, ut jam suprà monuimus.

XII.

Ut meliùs hæc omnia constent, simulque dubiis nonnullis ansa præcidatur, placet paucula addere. Diximus, *subditum esse partem societatis civilis atque subjecti Reipublicæ.* Certum hoc esse, & pro verissimô ab omnibus haberi putamus. Quandoquidem enim Respublica tanquam *vita & anima civitatis*, eorum, qui in ista habitant, ordine* definitur †, & nulla est, nec esse potest sine *imperante*, ad eamdem necessariò etiam requiruntur, *quibus imperetur.* Quemadmodum itaque ἄρχων vel ἄρχοντες, sic similiter & ἀρχόμενοι ad civitatis atque Reipublicæ εἶναι seu *esse* (ut appellant) & constitutionem pertinent, nec sine utrisque ulla vel est, vel esse potest. Porrò verò cõstat etiam, civitatem esse κοινωνίαν sive *societatem*, & ex *viris* constare, non *muris aut parietibus*. Hôc enim differt ab *urbe, cujus appellatio finitur mœnibus**. Nam, dicentibus Cicerone † ac Tacito*, *ejusmodi conjunctionem tectorum cum locis manuque sepsissent, oppidum vel urbem appellârunt, delubris distinctam, spatiisque communibus. Omnis autem populus, qui est talis multitudinis cætus, qualem exposui, civitas est.* Unde ad hoc respiciens olim Scipio Africanus junior, postquàm à Romanis ad Carthaginenses missus, *cives ex urbe exire* jusserat, hi verò expostulârant, quasi contra pacta ac conventa secum ageretur putantes, respondit, *civitatem non esse alligatam loco, nec concludi muris vel ædificiis: Carthaginenses verò malè interpretari de urbe, quod promissum esset de civitate.* Atque est quidem de hôc, quantum me-

* *III. Polit. cap. XV.*
† *III. Polit. cap. I. & VI. & Lib. IV. cap. I.*
* *l. urbis 2. ff. de V. S. & l. 87. ff. eod.*
† *Lib. I. de Repub.*
* *I. Histor. cap. LXXXIV.*

meminimus, inter Politicos tàm quàm Grammaticos res certa & confessa; utut nonnunquàm confundantur, & pro eôdem sumantur *urbs* vel *oppidum* atque *civitas*. Patet verò inde, subditum eô ipsô, quô *pars* est *societatis civilis*, quæ non ex locis, sed personis æstumatur, est inquam ejus pars *ignobilior seu inferior*, alteri superiori atque digniori *subjecta, eique obediens*, necessariò *subjectum esse debere secundum se, seu ratione personæ*. Quodsi enim possessor saltim quorundam bonorum, quibus utitur civitas, fuerit, non erit subditus nisi quatenus in illa bona jus quoddam etiam summæ quæ in civitate est potestati competit, & in publicum commodum onera certa sunt ferenda.

XIII.

Porrò constat & hoc, ut aliquis civis sit, non necessum esse, ut in eâdem cum aliis contineatur atq; habitet urbe, sed posse esse etiam, qui quà locum & tecta longissimè dissidet. Id quod iterum innuit Aristoteles, quando docet, περὶ τὸν τόπον, sive *quà locum non dici eandem vel diversam civitatem*, cùm aliàs sequeretur, *sæpè inter totam gentem ac civitatem nullam fore differentiam*. III. Polit. cap. III. ὁμοίως δὲ (scribit) καὶ τῶν τὸν αὐτὸν τόπον κατοικούντων, πότε δεῖ νομίζειν μίαν εἶναι τὴν πόλιν; οὐ γὰρ δεῖ τοῖς τείχεσιν. εἴη γὰρ ἂν Πελοποννήσῳ περιβαλεῖν ἓν τεῖχος· τοιαύτη δ' ἴσως ἐστὶ καὶ Βαβυλὼν, καὶ πᾶσα ἥτις ἔχει περιγραφὴν μᾶλλον ἔθνους ἢ πόλεως· ἧς γέ φασιν ἑαλωκυίας τρίτων ἡμερῶν, οὐκ αἰσθέσθαί τι μέρος τῆς πόλεως. *Eôdem autem pactô, iisdem hominibus locum incolentibus, quando convenit putare unam esse civitatem? Nullô enim pactô mœnibus. Liceret namque Peloponneso murum circumjacere. Hujuscemodi autem est fortasse & Babylon, & omnis, quæ circumscriptionem magis habet gentis, quàm urbis: quâ ajunt captâ jam tertium diem non sensisse partem*

quan-

quandam civitatis. Ubi quæ de Babylone memorat, referunt etiam Herodotus * atque Strabo †, addentes, ambitus ejus comprehendisse sexaginta millia passuum. Quemadmodum autem istud de cive, sic idem verum etiam est de subditô. Nempe neç ad hunc requiritur, ut actu habitet, aut domicilium constitutum habeat in civitatis, cujus subditꝰ dicitur, territoriô, sed potest quis esse etiamsi extra urbem, & inter populos & alios vivat. Modò vivat subjectus suis superioribus, eorumque jussa ritè cap[illegible]. Ideoque *actualis in civitate habitatio*, aut etiam [illegible] *agrorum vel similium bonorum possessio*, inter essentialia subditi vix numerari poterunt. Sed sunt hæc solummodò fortasse duo illa, quæ posuimus: (1.) *ut civitatis atque subjecti Reipublicæ pars sit*, & (2.) *secundum se, vel ratione personæ summæ potestati subjiciatur.* Etiamsi intereà non negemus, si de fine civitatis primariô, & perfectâ ac abunde instructâ vitâ commodè consequendâ sermo sit, cohabitationem locique communionem requiri; de quô plura alibi.

* Lib. I.
† Lib. X.

XIV.

Consentit hîc nobiscum Joannes Bodinus, utut, ceu suprà notavimus, alibi accuratè satis naturam subditi descripsisse non videatur. Sed eô locô, quô *de differentiis Principum* disserit, certosque *potentiorum ac tenuiorum* gradus constituit, ut doceat, quinam verè jura Majestatis habeant, qui verò eadem non habeant, sed aliis subditi vivant, subditorum conditiones exponit, & ita inquit: *Ex his generibus ii, qui non ratione fendi aut fiduciæ contractæ, sed ex sui ipsorum personâ parere coguntur, subditi dicuntur: multò magis etiam, si præter obligationem, quâ subditus Principi, cujus imperium ac jurisdictionem subire tenetur, fiduciam contraxerit, feudô à Prin-*

l. c. cap. X.

Principe, vel ab ipsius Principis subditô acceptô, si modò utriusque Princeps idem sit. Et post hæc pergit: *Quodsi* *ibid.* *subditus non sit, qui fiduciam, acceptô beneficiô, contraxit, etiamsi domini dignitatem ac salutem sine exceptione cujusquam tueri debeat; eâ tamen obligatione desertô feudô sine fraude sese liberare potest. At subditus quantumvis feudum aut censuale prædium deserat, aut nihil omninò habeat, quod suum dicere possit: personali tamen obligatione seipsum sine Principis sui consensione exuere nullô modô potest.* Hæc ibi Bodinus, similiter ex duobus istis requisitis saltim verum & propriè [illegible] subditum definiens.

XV.

Cœterùm naturâ subditi sic declaratâ, pergimus, & paucis ejusdem officia videre instituimus. Exprimunt ea nonnulli Politicorum nomine unicô *honoris*, juxta illud *Epist. I. cap.* Petri, dicentis: τὸν θεὸν φοβεῖσθε, τὸν βασιλέα τιμᾶτε. *Deum timete, Regem honorate.* *II. v. 17.* Comprehendi autem eô volunt tum *judicium* illud de imperantium, quorum subditus est, dignitate atque eminentiâ, declaratum erga eos exteriùs debitâ reverentiâ ac cultu, (quod vulgò aliàs nomine *honoris* solet intelligi) tùm & *amorem, obsequium, fidelitatem, atque præstationem operarum, munerum*, & quæ sunt id genus alia ad civitatis conservationem atque commodum necessaria. Scilicet est ipse pars civitatis, hujusque bonô simul utitur ac fruitur. Proinde velut aliàs pro salute suâ quilibet vigilat ac laborat, (ad hoc enim quisque naturâ suâ ducitur, cùm quævis, etiam inanimata, esse ac servationem suam appetant) sic ut simul & civitatis istius suæ salutem curet, ad eamque servandam, quantum in ipsô est, conferat, par est. Quandoquidem verò est pars civitatis ignobilior, atque alteri

 supe-

superiori, cui jus & potestas competit, atque cujus prudentiâ ac consiliis administratur atque protegitur tota civitas, subditus, erga imperantes illos non modò benè affectus sit oportet, sed & eorum auctoritatem ac majestatem reverenter colat, quæ ab ipsis fieri præcipiuntur, commodi civitatis gratiâ, audiat, & pro facultate suâ peragat ac exequatur. Huc igitur pertinent genera tributorum, censuum, excubiæ, labores, & alia, pace vel bellô ad civitatis tutelam atque salutem facientia, à subditis idpropter (à quôque tamen pro ratione suæ personæ) [illegible]renda, suscipienda, sustinenda, paranda.

Rhetor. ad Alex. c. III. Pulcrè Aristoteles, ubi *de pecuniis comparandis* disserit, *tributa pro singulorum copiis inferenda* monet, & ait: *Pauperibus indicetur, ut corpora: locupletibus, ut pecunias: opificibus verò, ut arma præstent adversus pericula.*

XVI.

De *fidelitate*, cujus mentionem fecimus, melioris declarationis gratiâ lubet addere, quæ quidam alii notanda monent, cumprimis Hermannus Vultejus, JCtus famigeratissimus. (Lib. I. de feud. cap. VI. num. 3.) Et primò quidem eam dupliciter sumi volunt: (1.) pro *ipsâ fide, quæ promittitur alicui ab aliquô,* (2.) pro *juramentô, quô quis ad fidem illam præstandam sanctè se obligat.* Utriusque autem *actum*, ajunt, *quasi intermedium esse homagium, quô ut vinculô quôdam & fides & juramentum connectatur:* cùm scilicet *homagium sit ipse præstationis juramenti actus cum suâ solennitate, quæ semper fit ab initio, cui consequens sit fidelitas, utpote obligatio permanens, & habens perseverantiam ad tractum temporis.* Deinde fidelitatem ejusmodi iterum distinguunt, (num. 4.) & triplicem constituunt: (1.) *fidelitatem juramenti subjectionis*, quam & *jurisdictionis* appellant, (2.) *domesticitatis*, & (3.) *fidelitatem vasallagii sive homa-*

homagii. Primam illam vocant, *quam subditus debet,* *num. 5.*
& ad eam etiam se obligavit Domino territorii, sub cujus jurisdictione habitat, juramentô, quod præstitit, quodque ideo linguâ nostrâ vernaculâ dicitur Huldigung/ Landshuldigung / Erbhuldigung / oder Erbpflicht.
Secundam restringunt *ad domesticos alicujus Domini,* & *num. 6.*
volunt esse *juramentum, quod domestici præstant ei, cujus domestici sunt, respectu officii, quod in domo habent:* e. g. *Consiliarii, dapiferi, pincernæ, Camerarii, aliique de familiâ.* Ubi verò laudatus Vultejus notat, *ad id juramen-* *ibid.*
tum teneri omnes & quosvis, qui sunt in officio alicujus Principis, aut personæ illustris: sive sint ipsius domestici, sive non: ideóque & elegantiùs & plenius hoc juramentum appellari posse fidelitatem vel juramentum fidelitatis officii, quod quis ratione officii sui, quod habet à Domino, præstare tenetur, quasi sit de ipsius domo, id est, familiâ.
Tertiam denique fidelitatem, *vasallagii vel homagii,* *num. 7.*
Germanis dictam Lehenspflicht/ definiunt *eam, quæ à Vasallo ob feudum sibi concessum præstatur Domino.*

XVII.

Hæc si imitari, & ad præsens applicare quis voluerit, equidem patet, intelligendam hôc locô esse fidelitatem primi generis, quam *jurisdictionis atque subjectionis* dicunt. Quemadmodum quidem & juramentum, quô ea promittitur, propriè *homagium,* quasi *hominis nexus,* à Politicis dicitur, & ab iis, quæ ratione officii, aut ratione solius feudi dantur, distinguitur. Scilicet horum utrôque (si in se spectantur) præbetur saltim fides *secundum quid, seu certô respectu,* quatenus scilicet vel ad *rationem officii,* vel *conditiones vasalliticas,* ut vocant, attinet. Hincque quod vasalli præbent, vel planè non continet nomen *subjectionis,* seu gehorsam zu

seyn/ vel si continet, saltim ad *ad vasallitiam subjectionem* restringit, daß Er seinen Herrn gewärtig/ und so viel einem Lehenherrn ein Lehnmann von Rechts wegen schuldig/gehorsam seyn wolle. At verò primò illô subjectio ac obedientia promittitur nullô cùm additô respectu, nullâ cautelâ, nullâ exceptione. Quod clarè docet formula, quam ut vulgarem & receptam in imperio nostro Romano adducit Wehnerus: Ich gelobe bey meinen wahren Treuen/ an Eydes statt/ daß ich dem/ N. N. als regierenden meinem rechten natürlichen E[illegible]n/ und dero Erben/ unterthänig/ gehorsam/ hold/ treu und gewärtig seyn/ Seiner Gnaden Frommen fördern/ und Schaden wenden/ auch in allen Sachen/ was ein getreuer Landsaß und Unterthaner seinem rechten Erbherrn zu thun schuldig ist/ getreulich thun sol/ und wil/ alle arge List und Gefehrde hierinnen ausgeschlossen. Obligat igitur hoc *ratione personæ*, atque includit ea omnia, quæ debere subditum propriè dictum potestati suæ suprà diximus. Plura in hunc sensum proponit Rev. pl. & Excell. D. Balthas. Cellarius in *Politicâ succinctâ*, quæ videri possunt.

in voce Landshuldigung.

Lib. II. cap. XIX.

XIIX.

Sed hìc amplissimus pateret campus, discurrendi atque dispiciendi de *terminis sive limitibus subjectionis civilis*: quousque scilicet ea se extendat, & ubi desinat ac finiatur? Fortassis enim non omnia ac singula, quæ imperantes subditis imponunt & præcipiunt, aut ab iis exigunt, ferenda iis aut agenda sunt. Et si fides habenda historiis, sæpè subditi respuerunt præcepta, obedientiamque renuerunt. Enimverò quùm non prolixissimum modò campum illum videamus, sed & plurimis densissimarum difficultatum spinis totum refertum, animum non sumimus ipsum ingredi. Subeant, & vires

res suas periclitentur, quibus cum ætate majore crebrior rerum usus ac experientia, diviniusque ingenii acumen competit. Intereà verò, ut quod nostræ ætatis captus ac ratio nobis persvadet, dicamus, absolutè fortè, *omnem subditum omnimodá subjectione teneri, & omnibus Majestatis imperiis obtemperare debere*, dici vix poterit. Sed respiciendum cumprimis est ad modum, quô aliquis ad imperii fastigium venit, suosque fecit subditos. Major enim utique vel amplior potestas in subditos apud illum esse videtur, qui occupatione bellicâ, aut simili modô aliô acquisivit regnum, ac est [illegible]terum, quem propriâ sponte, suæ salutis ac protectionis causâ, vocârunt ac elegerunt subditi. Hôc enim pactô semper ferè certas conditiones, &, ut ita loquamur, imperandi modum ponere solet populus, deinceps verò, si aliqua his non consentanea postulari vel exigi sentit, obsequium renuere.

XIX.

Semper autem (quod addere necessarium fuit visum) & omni lócô excipienda sunt ea, quæ pugnant cum lege Naturæ atque Dei. Quæ scilicet, ut alicubi Aristoteles inquit, οὐκ ἔστιν ἀναγκασθῆναι, ἀλλὰ μᾶλλον ἀποθανητέον, παθόντα τὰ δεινότατα. *ejusmodi sunt, ut nullâ vi aut necessitate coacti ea agere debeamus, sed potiùs nobis mors sit oppetenda, gravissimique cruciatus perferendi.* Doctissimus commentator Eustrathius eleganti hæc explicat discursu, dum ita scribit: *Nonnulla adeò gravia atque immania peccata sunt, ut nihil ad ea perpetranda cogere nos debeat. In parvis enim venia locum habere videtur, in magnis ac nefariis minimè: sed bono viro omnia tormentorum genera, ac mors demum atrocissima subeunda potiùs est, quàm tale quidpiam agendum. Unde & Anaxarcus, cùm mal-*

III. Ethic. Nicom. c. I.

Comment. in c. l.

leis ferreis tunderetur: Tunde, tunde Anaxarchi follem, clamabat. Et Zeno linguam sibi mordicus arreptam abscidit atque exspuit priùs quàm arcana sibi credita enunciaret ac proderet.

XX.

Et his ipsis verbis Aristotelicis contineri præsentem disputationem de subjectionis terminis, seu *quatenus Magistratui parendum sit*, testatur JCtus atque Philosophus clarissimus, Obertus Giphanius, eôdem sensu illam decidens, rationesque ex sacræ atque profanæ historiæ exemplis petens. *Habemus* (ait) *exemplum Apostolorum in Actis, qui etiam invitô Magistratu Christi gloriam morti, & illorum legibus civilibus prætulerunt. Et apud Sophoclem Antigone, contemptô Creontis edictô, fratrem humavit. Longiùs namque, inquit, est tempus, quô Diis magis quàm hominibus placere debeam.* Qui idem etiam adducit & probat dictum Laurentii apud Prudentium: *Magistratui scelus jubenti, crede, numquàm serviam.* Neque saltim, ut Giphanius notavit, exempla talia in sacris occurrunt, sed legimus etiam, nonnullos, quod spretis potestatis civilis præceptis Dei verbo ac legibus paruerint, laudari & commendari. Cujus egregium testimonium (quô unô etiam acquiescere nunc libet) præbent obstetrices illæ, quæ conculcatâ & insuper habitâ lege Pharaonis * *de jugulandis recens natis filiolis populi Israëlitici*, vivos servaverunt infantes, coram Pharaone verò excusârunt se officiosô mendaciô istô †: *Mulieres Ebræas non esse, sicuti sunt Aegyptiæ: Sed ipsas sibi esse obstetrices antequàm accedat obstetrix, & parere.* De quibus proinde scribit Moses Dei Cancellarius: *Sed timuerunt obstetrices Deum, & non fecerunt, quemadmodum loquutus est ad eas Rex Aegypti, sed vivificaverunt*

(vi-

Comment. pag. 158.

ibid.

* Exod. I. v. 15. & 16.

† v. 19.

v. 17.

(vivos servaverunt) pueros. Et addit porrò*: *Et benefecit Deus obstetricibus.* Et iterum:† *Et fuit, quia timuerunt obstetrices Deum, & fecit eis domos.* Plura alia ejusdem farinæ atque formæ possemus addere, si necessitas flagitaret. Sed quid opus in re tàm manifestâ magnâ uti prolixitate?

* v. 20.
† v. 21.

XXI.

Properamus ad distinctiones subditorum, etiam eas breviter visuri. Dicitur autem aliquis subditus I. vel *simpliciter ac absolutè*, vel *secundum quid, aut certâ ratione.* Hoc modô subditi sunt (1.) *Incolæ*, qui in civitate habitantes, voluntati Principis conformem vitam transigunt, etiam tributa solvunt, & onera quædam alia ferunt. Ad quos proinde nomen subditi suô modô meritò extenditur. (2.) *Vasalli* quicumque, qui bona in civitatis territorio, ceu vocant, (vocant autem ita terræ spacium jurisdictione munitum) comprehensa possident, & ideò similiter Majestatem civilem, jus in illa habentem, recognoscunt. (3.) Qui bona talia propria non possident, sed mercede saltim *conduxerunt.* (4.) *Pacticii,* qui certis conditionibus ac pactis, commodi alicujus gratiâ, se submiserunt. (5.) *Officiales*, seu qui Principi sunt ab officiis, nec nisi quod horum ratio exigit, præstare tenentur. Et quis omnes modos, quibus alter alteri quadantenus subjici potest, fandô enumeret? Qui omnes vero *absoluti ac pleni,* seu *absolutè & propriè dicti* subditi non sunt, sed saltim *particulares, stricti, minùs pleni, secundum quid, & impropriè dicti.* Subditus enim, propriè & simpliciter, sine addito sic dictus, ratione suæ personæ subjectus est, & sine exceptione quorundam obedientiam debet. At in modis enumeratis omnibus subjectio saltim ad certa aliqua restringitur, ad cœre-

ra ve-

ra verò non extenditur. Unde quùm secundum eos simpliciter subditi non dicantur, dicuntur cum *addito quodam* (ceu Logici vocant) *diminuente*, & ferè non aliter ac e. g. *Æthiops* dici solet *albus quoad dentes*.

XXII.

II. Distinguitur à nonnullis inter subditum *realem* ac *personalem*. Et ille dicitur, qui *ratione bonorum* potestati cujusdam subest, & jurisdictionem agnoscit. Hic verò, qui *suâ personâ* subjicitur. Quam verò distinctionem ad præcedentem reduci posse & debere, statim liquet, [illegible] *realis* hôc sensu dictus subditus sit saltim *particularis, & secundum quid*. Ideòque sic, si leges methodi sequi velimus, meliùs vix poterimus facere, quàm si primùm duo quasi prima subditorum genera (neutiquàm verò univoca, sed vel ἀνάλογα, vel πρὸς ἕν, uti à Dialecticis vocantur) ponamus, & utriusque deinde modos specialiores enumeremus.

XXIII.

Subditi autem, qui magis propriè sic dicuntur, iterum variè distinguuntur, & I. quidem in *naturales*, & *accidentarios*. *Naturales* dicuntur & *originarii*, atque sunt illi, qui in civitatis territorio, vel licet foris, attamen à patre subdito nati sunt. *Accidentarii* verò, qui aliunde, seu potiùs à parentibus alterius civitatis subditis nati, postmodum in aliam (cujus subditi dicuntur) adsumti, adsciti, allecti, vel adoptati, & ita subditi *facti*, atque inter civitatis partes adscripti sunt. Unde & *factitii*, vel *adscititii* dicuntur, germanicè **Einkömlinge**. Suntque iidem, quos *advenas* vel *convenas* vocari, suprà diximus: (§. VII.) sicut & illi naturales sunt *indigenæ* vel αὐτόχθονες: Quod nominis olim quasi proprium ἐπίθετον Atheniensibus tributum fuisse, in historiis legimus.

XXIV.

XXIV.

Sed hîc benè notandum, quod *naturalem subditum* dixerimus, *qui à patre subdito natus est*. Etenim non sufficit, *nasci quem in civitatis alicujus territoriô:* cùm sæpè accidat, peregrinantibus aut etiam, commorantibus in loco aliquo, hospitis tamen, nasci liberos. Quos verò ideo & subditos esse civitatis istius, in cujus finibus animam vitalem trahere incipiunt, quis quæso dixerit? Quod idem quoque de iis verum, qui alicubi solùm, fortè à cognatis aut amicis, educantur, aut artes discunt. Nam nec hi ex loco illo statim subjectionis formam acquirunt, sed nisi suum nomen inter subditos dederint, sunt manentque meri hospites. Sanè de *civibus*, qui *nascendò patriam & civitatis jura acquirere* dicuntur, aliàs hæc inter Politicos est sententia, & eâ quidem de causâ, quod filius veluti patris sui est, sic & membrum vel pars sit ejus societatis, cujus pars ipse est pater. Quamobrem etiam justam animadversionis notam apud eos incurrerunt olim Galli, dum Carolum V. Imperatorem Romanum, Gandavi, in municipio quodam seu feudali Gallorum civitate natum, Galliæ civem ac subditum esse voluerunt. Quô de argumentô qui plura cognoscere avet, adire potest inter alios Arumæum * atque Arnisæum †.

* *in A. B. pag. 88.*

† *Relect. Polit. Lib. I. cap. IV. sect. X. n. 4.*

XXV.

II. Subditorum alii sunt *merè subditi*, alii *non merè subditi*. Illi vocantur, qui Majestati ita subjecti sunt, ut ipsi nullos sibi subditos alios habeant. Hi verò, qui subsunt quidem Majestati, in Reipublicæ tamen curam sunt adsumti, & potestatis partem quandam participant, ita ut & ipsi etiam subditos, quibus imperent, habeant. Dicuntur à nonnullis *mixti*, & sunt e. g. Nobiles, qui

Prin-

Principi quidem ſubjecti, in ejus tamen territoriô etiam in nonnullos ut ſubditos exercent imperium. Qualismodi etiam in Imperio Romano-Germanico ſunt Barones, Comites, Principes, Duces, & Status cœteri. Omnes ſiquidem hi utut ſuarum terrarum ſint Domini, & ſubditos plurimos ſuis præceptis obedientes habeant, attamen & ipſi totius Imperii poteſtati ſubmittuntur. Sed merè ſubditi ſunt e. g. ruſtici, & etiam cives, penes quos nullum in alios (niſi fortè ſuos ſervos, vel liberos; de quibus verò hîc nunc nullus eſt ſermo) eſt jus vel poteſtas. Multi vulgò volunt, *in Monarchiâ propriè dictâ omnes, præter Monarcham, eſſe merè ſubditos, in Ariſtocratiâ autem, Olicharchiâ, Democratiâ ac Politiâ, ut & Republicâ mixtâ, ſingulos, etiam penes quos eſt Majeſtas, eſſe ſubditos mixtos.* Sed hoc nos niſi cum granô ſalis, ut vulgò loquuntur, & certô ſenſu ſumatur vel exponatur, verum non putamus.

XXVI.

III. Similis ferè huic eſt diſtinctio, quâ à nonnullis ſubditi aliqui dicuntur *tantùm privati*, aliqui *non tantùm privati*. Ut & IV. illa in ſubditos *mediatos* ac *immediatos*. Nam *mediati* ſubditi ſunt, qui ita ſuperiori ſubſunt, ut etiam alii inferiori ſubjiciantur. Econtrariô *immediati*, qui ſummæ poteſtati ſoli ſubſunt ac obtemperant, neque præter hanc alterius imperium agnoſcunt aut formidant. Deinde ſubditi *tantùm privati* ſunt, qui poteſtati ſummæ ita ſubſunt, ut nullâ poteſtate publicâ, ſibi ſaltim commiſsâ, gaudeant. Sed *non tantùm privati*, qui Majeſtati ita ſubſunt, ut & ipſi aliquâ poteſtate polleant, & quosdam dictis ſuis obedientes habeant. Quales vocari poſſunt in noſtro imperio Romano-Germanico ſinguli Status, ut & alii Barones, Comi-

tes,

tes, & Nobiles, certis provinciis vel territoriis qui præsunt, suosque subditos habent. Nec non Duces bellici, Quæstores, Consules, Prætores, Præfecti, Judices, Senatores, idque genus alii, per quos Princeps populum regit ac gubernat. Quanquàm alii hos ultimos, qui potestate non propriâ utuntur, & vicem magistratus tantùm tenent, saltim subditos *non tantùm privatos*, alios autem, qui meri officiales non sunt, sed in civitate potestatem etiam propriam participant, (qualem habent e. g. sæpè dicti Status nostri Imperii) subditos *immediatos* potiùs vocandos velint, & ità inter subditos *immediatos* & *non tantùm privatos* distinguant. Sed subditi *mediati*, atque *tantùm privati* sunt omnes rustici e, g. ut & cives, quibus nullum officium publicum vel civile est commissum. De *Nobilibus*, qui sub Sereniss. Electore Ducibusque Saxoniæ, & quibusdam Statibus Imperii Romano-Germanici aliis habitant, eorumque subditi vel mediati vel immediati sunt, indeque vel *Amptsassii*, vel *Schriftsassii* (quibus nominibus scilicet in hôc forô utuntur) vocantur, hoc argumentum insigniter illustrantibus, quô discrimine, quibusve privilegiis inter se differant, videri possunt Doctores Juris publici, & inter eos cumprimis nomen nobilissimum, Theod. Reinking. *tractatu aureô de Regimine seculari atque Ecclesiastico.* *Lib. I. class. V. cap. XI. num. 47. & seqq.* Nobis enim colligere hæc omnia atque huic Dissertationi, quam aliàs brevissimis complecti constituimus, inserere nec ob temporis nec aliarum occupationum rationem licuit.

XXVII.

Porrò V. quemadmodum ex dictis, & aliàs etiam constat, plures & varii generis homines dantur in unô regnô atque civitate, Quod ita etiam necessum fuit, ob

civitatis finem vel obtinendum, vel præsentem jam servandum. Civitas siquidem πλῆθός ἐστιν, οὐ τὸ τυχὸν, ἀλλὰ πρὸς ζωὴν αὔταρκες, ὡς φαμέν. ἐὰν δέ τι τυγχάνῃ τούτων ἐκλεῖπον ἀδύνατον ἁπλῶς αὐτάρκη τὴν κοινωνίαν εἶναι ταύτην, inquit o-

VII. Polit. cap. IX. ptumè Aristoteles. H. e. *Civitas multitudo est non qualibet, sed quæ paratas habeat res ad vitam necessarias, ut vulgo dicimus. Si autem quidpiam horum desideretur, fieri non potest, ut simpliciter hæc communio suis rebus sit contenta.* Per res verò ad vitam necessarias intelliguntur tum opera illæ, quas fieri, quibusque parari oportet ea, quibus [illegible] singulorum ad sufficientiam (ceu dicitur) servatur atque defenditur, tùm deinde & opera ipsa, quæ aliàs etiam κτήματα nominari solent. ἀνάγκη τοίνυν, κατὰ τὰς ἐργασίας ταύτας συνεστάναι πόλιν. *Necesse igitur est, per operationes coagmentatam esse civitatem.* Quapropter δεῖ γεωργῶν τ' εἶναι πλῆθος, οἳ παρασκευάζουσι τὴν τροφὴν, καὶ τεχνίτας, καὶ τὸ μάχιμον, καὶ τὸ εὔπορον, καὶ ἱερεῖς, καὶ κριτὰς

ibid. τῶν ἀναγκαίων καὶ συμφερόντων. *Opus est, agricolarum adesse multitudinem, qui parent cibaria, & opifices, & milites, & locupletes, & Sacerdotes, & existimatores rerum necessariarum & utilium.* Quæ sex hominum genera, civitati maximè necessaria, sive ὅσα τῆς πόλεσιν ἀναγκαῖον ὑπάρχειν, *quæ civitatibus inesse necessarium est*, eô locô sic Aristoteles enumerat. Præter quæ complura alia dantur, requisita pro ratione loci, quô degit civitas, aut etiam ad alios usus conferentia, ita verò simpliciter non neces-

ibid. saria. Nam ἄνευ τούτων τὸ ὅλον οὐκ ἂν εἴη, *sine istis, totum neutiquàm esset.*

XXIIX.

Pro ratione igitur atque differentiis harum operarum etiam distinguuntur subditi, & primò quidem in *servos* atque *ingenuos seu liberos*. Quanquàm illos, cum-

pri-

primis si Φύσει seu *naturâ tales*, aut νόμῳ vel *lege* licet, attamen etiam ut illi ὅλως ἄλλε, *toti seu totaliter alterius*, nimirùm Domini sint, atque inter hujus κτήματα, *possessiones* pertineant, (quos posteriores vocârint prisci *mancipia*) malint aliqui *civium, qui subditi sunt, servos*, quàm ipsos *subditos* vocare. In *civium* certè numerum nullô modô veniunt, uti id & verbis modò allatis, & etiam alibi clarissimè innuit Aristoteles, cumprimis, quando *non posse eos participes fieri vitæ beatæ, aut vivere uti volunt*, docet. Cui optumè consentiunt leges civiles*, eosdem pro *nullis* habentes. Itemque Aristophanes in equitibus, quibus servos ac inquilinos ἄχυρα τῶν πολιτῶν, *paleas civium quasi granis adhærentes* dixit. Intereà verò quùm & in ipsos cadat subjectio atque paritio, sintque præterea eorum, qui subditi vocantur, quique tàm suis personis, quàm & omnibus quæ habent, Majestati subsunt, nulla fortè evidens ratio nomine subditorum ipsos non insigniendos esse obtinebit. Quin etiamsi sic vocentur, manet tamen ordo, inter ipsos & Dominos qui est, salvus sartusque, neque eô nomine aliud quid attenditur, quàm quod sint ἀρχόμενοι.

I. Polit. cap. III. & IV.

ibid. cap. IX.

* *l. 3. §. 1. in fin. de cap. min.*

XXIX.

Liberi verò seu ingenui, ἐλεύθεροι Græcis, secundum operarum illarum, quas paulò ante meminimus, varietates atque differentias iterùm variè distinguuntur. Optumè verò omnes ad duo videntur posse revocari genera, & alii dici *Ecclesiastici*, qui sacris operantur, & alii *seculares*, qui aliis operis atque laboribus vacant. Illos appellant Canones *clericos*, à Græco κλῆρος, quod *sortem vel hereditatem* notat: quasi *electos in sortem Domini, divinis officiis mancipatos*. Quos ipsos proinde *Majestati civili non subjectos*, *neque ejus legibus vel statutis*

obligatos esse, quin *nec, si deliquerint, à secularibus puniri posse*, nonnulli Papicolarum contendunt, sed incerti, an illa exemtio omnimoda sit, an verò restricta saltim ad certas immunitates, & ex quô veniat, quôve fundetur jure, naturali, divinô, an humanô? Quorum verò omnium verbis ac rationibus nos nihil moti, ex adversô verò attendentes, neque in Politiâ olim Judaicâ Clericatum (quó modô scilicet vocamus cum istis) sustulisse vinculum Politicum, vel obligationem respectu superiorum, neque etiam ipsum nostrum Salvatorem θεάνθρωπον, in terris cum viveret, aut ejus discipulos atque Apostolos se illi subtraxisse, clericos autem non minùs quàm seculares bonô civitatis frui, putamus, subjectione etiam illos teneri, *subjectione*, inquam, *personali*, de quâ hîc nobis cumprimis quæstio; quidquid intereà sit de ipsorum *operis ab laboribus*, ab ipsômet Deô jussis atque imperatis. Nam hos simpliciter & omnimodis ejusdem potestatis arbitrio non subjacere, neque ab eâ pro arbitratu præcipi, ordinari vel mutari posse, vel ipsa illa ratio evidenter docet. Plura de hoc argumento legere qui cupit, adeat inter alios Henningum Arnisæum * atque Hugonem Grotium †, viros in hoc literarum genere exercitatissimos, & hodiè & ferè sine paribus: qui ea, quæ diximus, non modò clarè explicant ac demonstrant, sed & variis Ecclesiasticorum Doctorum, nonnullorum etiam Pontificiorum testimoniis confirmant, & simul dissentientium argutias plenissimè confutant.

Becan. Theolog. Schol. Part. I. Tr. III. cap. VI. Qu. XI.

* *Comment. de subject. & exemt. Cler.*

† *Comment. de imp. summ. potest. circa sacra.*

XXX.

Sed quod *seculares* attinet, vocantur ii à Canonibus *laici*, à Græco λαός, *populus*, ridiculè verò atque absurdè ex nonnullorum (quorum meminit Summa Summarum Sylvestrina) conjecturâ à *lapis, quasi lapidei & duri, non faci-*

in voce Laicus.

facilè susceptivi impressionis literariæ. Sunt autem hi omnes reliqui post clericos, qui in civitate illâ degunt. Quorum ideò non modò major est numerus, sed & ulteriùs ratione laborum, quibus vacant, ulterior differentia, ut difficilimum sit, omnia genera enumerare atque definire. Constituuntur tamen & eorum duæ classes generales, & alteri vocantur *nobiles,* alteri *ignobiles, vulgares & plebeji.* *Nobiles* quasi *noscibiles* dicuntur, ob virtutem, quâ præditi præ aliis excellunt ac innotescunt. Nam sicut à *motu, mobilis,* sic à *noto, nobilis* derivatur Grammaticis, quasi *præ aliis notus.* Et in communi vitâ quidem quodcunque eximium ac excellens in aliquâ re, bonum vel malum, honestum vel inhonestum, laude vel culpâ ac vituperiô dignum fuerit, appellari consuevit *nobile.* Unde hôc sensu à Liviô * *inimicitiæ nobiles,* à Donato † *meretrices nobiles,* vulgò ab Historicis *Poppea,* quæ omnem pudorem ejuraverat **, *Quintilla,* quæ nunquàm virginem se meminerat ††, & talismodi libidinosæ *Thaides aliæ, scorta nobilia* dicuntur. De quibus verò loquutionibus si audimus, non immeritò recordamur, quæ alicubi Dominicus de Flandriâ, ordinis Prædicatorum Doctor * dicit: *Aliquando,* inquiens, *aliquis dicitur perfectus secundum virtutem, non propriè, sed metaphoricè sive transsumtivè, aut secundum similitudinem: ut aliquis dicitur perfectus latro, & perfectus calumniator, quando in nullo deficiunt ab eô, quod competit eis, in quantum sunt tales. Nec hoc est mirum, quia aliquando mali dicuntur boni & optimi per quandam similitudinem: sicut dicimus, quod iste est bonus & optimus latro, & optimus calumniator: quia scilicet sic se habent in suis operibus mali, sicut boni in suis operibus. In his autem oppositum potest glossari per oppositum, per glos-*

* *Lib. IX. de bell. Macedon.*
† *in Hecyr.*
** *Tacit. Lib. XIII.*
†† *Rolbac. A. V. cap. XIX. n. 25.*
* *in V. Metaph. Qu. XVII. art. I.*

ſuperiori, cui jus & poteſtas competit, atque cujus prudentiâ ac conſiliis adminiſtratur atque protegitur tota civitas, ſubditus, erga imperantes illos non modò benè affectus ſit oportet, ſed & eorum auctoritatem ac majeſtatem reverenter colat, quæ ab ipſis fieri præcipiuntur, commodi civitatis gratiâ, audiat, & pro facultate ſuâ peragat ac exequatur. Huc igitur pertinent genera tributorum, cenſuum, excubiæ, labores, & alia, pace vel bellô ad civitatis tutelam atque ſalutem facientia, à ſubditis idpropter (à quôque tamen pro ratione ſuæ perſonæ) [illegible] enda, ſuſcipienda, ſuſtinenda, paranda.

Rhetor. ad Alex. c. III. Pulcrè Ariſtoteles, ubi *de pecuniis comparandis* diſſerit, *tributa pro ſingulorum copiis inferenda* monet, & ait: *Pauperibus indicetur, ut corpora: locupletibus, ut pecunias: opificibus verò, ut arma præſtent adverſus pericula.*

XVI.

De *fidelitate*, cujus mentionem fecimus, melioris declarationis gratiâ lubet addere, quæ quidam alii notanda monent, cumprimis Hermannus Vultejus, JCtus famigeratisſimus. *Lib. I. de feud. cap. VI. num. 3.* Et primò quidem eam dupliciter ſumi volunt: (1.) pro *ipsâ fide, quæ promittitur alicui ab aliquô,* (2.) pro *juramentô, quô quis ad fidem illam præstandam ſanctè ſe obligat. Utriusque autem actum,* ajunt, *quaſi intermedium eſſe homagium, quô ut vinculô quôdam & fides & juramentum connectatur:* cùm ſcilicet *homagium ſit ipſe præſtationis juramenti actus cum ſuâ ſolennitate, quæ ſemper fit ab initio, cui conſequens ſit fidelitas, utpote obligatio permanens, & habens perſeverantiam ad tractum temporis.* Deinde fidelitatem ejusmodi iterum diſtinguunt, & triplicem conſtituunt: *num. 4.* (1.) *fidelitatem juramenti ſubjectionis,* quam & *jurisdictionis* appellant, (2.) *domeſticitatis,* & (3.) *fidelitatem vaſallagii ſive homa-*

homagii. Primam illam vocant, *quam subditus debet,* *num. 5.*
& ad eam etiam se obligavit Domino territorii, sub cujus
jurisdictione habitat, juramentô, quod præstitit, quodque
ideo linguâ nostrâ vernaculâ dicitur **Huldigung/**
Landshuldigung / Erbhuldigung / oder Erbpflicht.
Secundam restringunt *ad domesticos alicujus Domini,* & *num. 6.*
volunt esse *juramentum, quod domestici præstant ei, cu-*
jus domestici sunt, respectu officii, quod in domo habent:
e. g. *Consiliarii, dapiferi, pincernæ, Camerarii, aliique de fa-*
miliâ. Ubi verò laudatus Vultejus notat, *ad id juramen-* *ibid.*
tum teneri omnes & quosvis, qui sunt in [illegible] *alicujus*
Principis, aut personæ illustris: sive sint ipsius domestici,
sive non: ideóque & elegantiùs & pleniùs hoc juramen-
tum appellari posse fidelitatem vel juramentum fidelitatis
officii, quod quis ratione officii sui, quod habet à Domino,
præstare tenetur, quasi sit de ipsius domo, id est, familiâ.
Tertiam denique fidelitatem, *vasallagii vel homagii,* *num. 7.*
Germanis dictam **Lehenspflicht/** definiunt *eam, quæ à*
Vasallo ob feudum sibi concessum præstatur Domino.

XVII.

Hæc si imitari, & ad præsens applicare quis volue-
rit, equidem patet, intelligendam hôc locô esse fidelita-
tem primi generis, quam *jurisdictionis atque subjectio-*
nis dicunt. Quemadmodum quidem & juramentum,
quô ea promittitur, propriè *homagium,* quasi *hominis*
nexus, à Politicis dicitur, & ab iis, quæ ratione officii,
aut ratione solius feudi dantur, distinguitur. Scilicet
horum utrôque (si in se spectantur) præbetur saltim fi-
des *secundum quid, seu certô respectu;* quatenus scilicet
vel ad *rationem officii,* vel *conditiones vasalliticas,* ut vo-
cant, attinet. Hincque quod vasalli præbent, vel pla-
nè non continet nomen *subjectionis,* seu **gehorsam zu**

 seyn/

seyn/ vel si continet, saltim ad *ad vasalliticam subjectionem* restringit, **daß Er seinen Herrn gewärtig/ und so viel einem Lehenherrn ein Lehnmann von Rechts wegen schuldig/gehorsam seyn wolle.** At verò primò illô subjectio ac obedientia promittitur nullô cùm additô respectu, nullâ cautelâ, nullâ exceptione. Quod clarè docet formula, quam ut vulgarem & receptam in imperio nostro Romano adducit Wehnerus: **Ich gelobe bey meinen wahren Treuen/ an Eydes statt/ daß ich dem/ N. N. als regierenden meinem rechten natürlichen Erbherrn/ und dero Erben/ unterthänig/ gehorsam/ hold/ treu und gewärtig seyn/ Seiner Gnaden Frommen fördern/ und Schaden wenden/ auch in allen Sachen/ was ein getreuer Landsaß und Unterthaner seinem rechten Erbherrn zu thun schuldig ist/ getreulich thun sol/ und wil/ alle arge List und Gefehrde hierinnen ausgeschlossen.** Obligat igitur hoc *ratione personæ*, atque includit ea omnia, quæ debere subditum propriè dictum potestati suæ suprà diximus. Plura in hunc sensum proponit Rev. pl. & Excell. D. Balthas. Cellarius in *Politicâ succinctâ*, quæ videri possunt.

in voce Landshuldigung.

Lib. II. cap. XIX.

XIIX.

Sed hîc amplissimus pateret campus, discurrendi atque dispiciendi de *terminis sive limitibus subjectionis civilis*: quousque scilicet ea se extendat, & ubi desinat ac finiatur? Fortassis enim non omnia ac singula, quæ imperantes subditis imponunt & præcipiunt, aut ab iis exigunt, ferenda iis aut agenda sunt. Et si fides habenda historiis, sæpè subditi respuerunt præcepta, obedientiamque renuerunt. Enimverò quùm non prolixissimum modò campum illum videamus, sed & plurimis densissimarum difficultatum spinis totum refertum, animum non sumimus ipsum ingredi. Subeant, & vi-

res

res ſuas periclitentur, quibus cum ætate majore crebrior rerum uſus ac experientia, diviniusque ingenii acumen competit. Intereà verò, ut quod noſtræ ætatis captus ac ratio nobis perſvadet, dicamus, abſolutè fortè, *omnem ſubditum omnimodâ ſubjectione teneri, & omnibus Majeſtatis imperiis obtemperare debere*, dici vix poterit. Sed reſpiciendum cumprimis eſt ad modum, quô aliquis ad imperii faſtigium venit, ſuosque fecit ſubditos. Major enim utique vel amplior poteſtas in ſubditos apud illum eſſe videtur, qui occupatione bellicâ, aut ſimili modô aliô acquiſivit regnum, ac eſt [illegible]lterum, quem propriâ ſponte, ſuæ ſalutis ac protectionis causâ, vocârunt ac elegerunt ſubditi. Hôc enim pactô ſemper ferè certas conditiones, &, ut ita loquamur, imperandi modum ponere ſolet populus, deinceps verò, ſi aliqua his non conſentanea poſtulari vel exigi ſentit, obſequium renuere.

XIX.

Semper autem (quod addere neceſſarium fuit viſum) & omni lócô excipienda ſunt ea, quæ pugnant cum lege Naturæ atque Dei. Quæ ſcilicet, ut alicubi Ariſtoteles inquit, οὐκ ἔστιν ἀναγκασθῆναι, ἀλλὰ μᾶλλον ἀποθνητέον, παθόντα τὰ δεινότατα. *ejusmodi ſunt, ut nullâ vi aut neceſſitate coacti ea agere debeamus, ſed potiùs nobis mors ſit oppetenda, graviſſimique cruciatus perferendi.* Doctiſſimus commentator Euſtrathius eleganti hæc explicat diſcurſu, dum ita ſcribit: *Nonnulla adeò gravia atque immania peccata ſunt, ut nihil ad ea perpetranda cogere nos debeat: In parvis enim veniæ locum habere videtur, in magnis ac nefariis minimè: ſed bono viro omnia tormentorum genera, ac mors demum atrociſſima ſubeunda potiùs eſt, quàm tale quidpiam agendum. Unde & Anaxarcus, cùm mal-*

III. Ethic. Nicom. c. I.

Comment. in l. l.

leis ferreis tunderetur: Tunde, tunde Anaxarchi follem, clamabat. Et Zeno linguam sibi mordicus arreptam abscidit atque exspuit priùs quàm arcana sibi credita enunciaret ac proderet.

XX.

Et his ipsis verbis Aristotelicis contineri præsentem disputationem de subjectionis terminis, seu *quatenus Magistratui parendum sit*, testatur JCtus atque Philosophus clarissimus, Obertus Giphanius, eôdem sensu illam decidens, rationesque ex sacræ atque profanæ historiæ exemplis petens. *Habemus* (ait) *exemplum Apostolorum in Actis, qui etiam invitô Magistratu Christi gloriam morti, & illorum legibus civilibus prætulerunt. Et apud Sophoclem Antigone, contemptô Creontis edictô, fratrem humavit. Longiùs namque, inquit, est tempus, quô Diis magis quàm hominibus placere debeam.* Qui idem etiam adducit & probat dictum Laurentii apud Prudentium: *Magistratui scelus jubenti, crede, numquàm serviam.* Neque saltim, ut Giphanius notavit, exempla talia in sacris occurrunt, sed legimus etiam, nonnullos, quod spretis potestatis civilis præceptis Dei verbo ac legibus paruerint, laudari & commendari. Cujus egregium testimonium (quô unô etiam acquiescere nunc libet) præbent obstetrices illæ, quæ conculcatâ & insuper habitâ lege Pharaonis * *de jugulandis recens natis filiolis populi Israëlitici*, vivos servaverunt infantes, coram Pharaone verò excusârunt se officiosô mendaciô istô †: *Mulieres Ebræas non esse, sicuti sunt Aegyptia: Sed ipsas sibi esse obstetrices antequàm accedat obstetrix, & pariere.* De quibus proinde scribit Moses Dei Cancellarius: *Sed timuerunt obstetrices Deum, & non fecerunt, quemadmodum loquutus est ad eas Rex Aegypti, sed vivificaverunt (vi-*

Comment. pag. 158.

ibid.

* Exod. 1. v. 15. & 16.

† v. 19.

v. 17.

(vivos servaverunt) pueros. Et addit porrò*: *Et benefecit Deus obstetricibus.* Et iterum:† *Et fuit, quia timuerunt obstetrices Deum, & fecit eis domos.* Plura alia ejusdem farinæ atque formæ possemus addere, si necessitas flagitaret. Sed quid opus in re tàm manifestâ magnâ uti prolixitate?

* v. 20.
† v. 21.

XXI.

Properamus ad distinctiones subditorum, etiam eas breviter visuri. Dicitur autem aliquis subditus 1. vel *simpliciter ac absolutè*, vel *secundum quid, aut certâ ratione.* Hòc modó subditi sunt (1.) *Incolæ*, qui in civitate habitantes, voluntati Principis conformem vitam transigunt, etiam tributa solvunt, & onera quædam alia ferunt. Ad quos proinde nomen subditi suô modô meritò extenditur. (2.) *Vasalli* quicumque, qui bona in civitatis territorio, ceu vocant, (vocant autem ita terræ spacium jurisdictione munitum) comprehensa possident, & ideò similiter Majestatem civilem, jus in illâ habentem, recognoscunt. (3.) Qui bona talia propria non possident, sed mercede saltim *conduxerunt.* (4.) *Pactitii*, qui certis conditionibus ac pactis, commodi alicujus gratiâ, se submiserunt. (5.) *Officiales*, seu qui Principi sunt ab officiis, nec nisi quod horum ratio exigit, præstare tenentur. Et quis omnes modos, quibus alter alteri quadantenus subjici potest, fandô enumeret? Qui omnes vero *absoluti ac pleni*, seu *absolutè & propriè dicti* subditi non sunt, sed saltim *particulares, stricti, minùs pleni, secundum quid, & impropriè dicti.* Subditus enim, propriè & simpliciter, sine addito sic dictus, ratione suæ personæ subjectus est, & sine exceptione quorundam obedientiam debet. At in modis enumeratis omnibus subjectio saltim ad certa aliqua restringitur, ad cœtera ve-

ra verò non extenditur. Unde quàm secundum eos simpliciter subditi non dicantur, dicuntur cum *addito quodam* (ceu Logici vocant) *diminuente*, & ferè non aliter ac e. g. *Æthiops* dici solet *albus quoad dentes.*

XXII.

II. Distinguitur à nonnullis inter subditum *realem* ac *personalem*. Et ille dicitur, qui *ratione bonorum* potestati cujusdam subest, & jurisdictionem agnoscit. Hic verò, qui *suâ personâ* subjicitur. Quam verò distinctionem ad praecedentem reduci posse & debere, statim liquet, cùm *realis* hôc sensu dictus subditus sit saltim *particularis, & secundum quid*. Ideoque sic, si leges methodi sequi velimus, melius vix poterimus facere, quàm si primùm duo quasi prima subditorum genera (neutiquàm verò univoca, sed vel ἀνάλογα, vel πρὸς ἕν, uti à Dialecticis vocantur) ponamus, & utriusque deinde modos specialiores enumeremus.

XXIII.

Subditi autem, qui magis propriè sic dicuntur, iterum variè distinguuntur, & I. quidem in *naturales*, & *accidentarios*. *Naturales* dicuntur & *originarii*, atque sunt illi, qui in civitatis territorio, vel licet foris, attamen à patre subdito nati sunt. *Accidentarii* verò, qui aliunde, seu potiùs à parentibus alterius civitatis subditis nati, postmodum in aliam (cujus subditi dicuntur) adsumti, adsciti, allecti, vel adoptati, & ita subditi *facti*, atque inter civitatis partes adscripti sunt. Unde & *factitii*, vel *adscititii* dicuntur, germanicè **Einkömlinge**. Suntque iidem, quos *advenas* vel *convenas* vocari, suprà diximus: sicut & illi naturales sunt *indigenæ* vel αὐτόχθονες: Quod nominis olim quasi proprium ἐπίθετον Atheniensibus tributum fuisse, in historiis legimus.

§. VII.

XXIV.

XXIV.

Sed hîc benè notandum, quod *naturalem subditum* dixerimus, *qui à patre subdito natus est*. Etenim non sufficit, *nasci quem in civitatis alicujus territoriô*: cùm sæpè accidat, peregrinantibus aut etiam, commorantibus in loco aliquo, hospitis tamen, nasci liberos. Quos verò ideò & subditos esse civitatis istius, in cujus finibus animam vitalem trahere incipiunt, quis quæso dixerit? Quod idem quoque de iis verum, qui alicubi solùm, fortè à cognatis aut amicis, educantur, aut artes discunt. Nam nec hi ex loco illo statim subjectionis formam acquirunt, sed nisi suum nomen inter subditos dederint, sunt manentque meri hospites. Sanè de *civibus*, qui *nascendò patriam & civitatis jura acquirere* dicuntur, aliàs hæc inter Politicos est sententia, & eâ quidem de causâ, quod filius veluti patris sui est, sic & membrum vel pars sit ejus societatis, cujus pars ipse est pater. Quamobrem etiam justam animadversionis notam apud eos incurrerunt olim Galli, dum Carolum V. Imperatorem Romanum, Gandavi, in municipio quodam seu feudali Gallorum civitate natum, Galliæ civem ac subditum esse voluerunt. Quô de argumentô qui plura cognoscere avet, adire potest inter alios Arumæum* atque Arnisæum†.

* *in A. B. pag. 88.*

† *Relect. Polit. Lib. I. cap. IV. sect. X. n. 4.*

XXV.

II. Subditorum alii sunt *merè subditi*, alii *non merè subditi*. Illi vocantur, qui Majestati ita subjecti sunt, ut ipsi nullos sibi subditos alios habeant. Hi verò, qui subsunt quidem Majestati, in Reipublicæ tamen curam sunt adsumti, & potestatis partem quandam participant, ita ut & ipsi etiam subditos, quibus imperent, habeant. Dicuntur à nonnullis *mixti*, & sunt e. g. Nobiles, qui

Principi quidem subjecti, in ejus tamen territoriô etiam in nonnullos ut subditos exercent imperium. Qualismodi etiam in Imperio Romano-Germanico sunt Barones, Comites, Principes, Duces, & Status cœteri. Omnes siquidem hi utut suarum terrarum sint Domini, & subditos plurimos suis præceptis obedientes habeant, attamen & ipsi totius Imperii potestati submittuntur. Sed merè subditi sunt e. g. rustici, & etiam cives, penes quos nullum in alios (nisi fortè suos servos, vel liberos; de quibus verò hîc nunc nullus est sermo) est jus vel potestas. Multi vulgò volunt, *in Monarchiâ propriè dictâ omnes, præter Monarcham, esse merè subditos, in Aristocratiâ autem, Olicharchiâ, Democratiâ ac Politiâ, ut & Republicâ mixtâ, singulos, etiam penes quos est Majestas, esse subditos mixtos.* Sed hoc nos nisi cum granô salis, ut vulgò loquuntur, & certô sensu sumatur vel exponatur, verum non putamus.

XXVI.

III. Similis ferè huic est distinctio, quâ à nonnullis subditi aliqui dicuntur *tantùm privati*, aliqui *non tantùm privati*. Ut & IV. illa in subditos *mediatos* ac *immediatos*. Nam *mediati* subditi sunt, qui ita superiori subsunt, ut etiam alii inferiori subjiciantur. Econtrariô *immediati*, qui summæ potestati soli subsunt ac obtemperant, neque præter hanc alterius imperium agnoscunt aut formidant. Deinde subditi *tantùm privati* sunt, qui potestati summæ ita subsunt, ut nullâ potestate publicâ, sibi saltim commissâ, gaudeant. Sed *non tantùm privati*, qui Majestati ita subsunt, ut & ipsi aliquâ potestate polleant, & quosdam dictis suis obedientes habeant. Quales vocari possunt in nostro imperio Romano-Germanico singuli Status, ut & alii Barones, Comites,

tes,

tes, & Nobiles, certis provinciis vel territoriis qui præsunt, suosque subditos habent. Nec non Duces bellici, Quæstores, Consules, Prætores, Præfecti, Judices, Senatores, idque genus alii, per quos Princeps populum regit ac gubernat. Quanquàm alii hos ultimos, qui potestate non propriâ utuntur, & vicem magistratus tantùm tenent, saltim subditos *non tantùm privatos*, alios autem, qui meri officiales non sunt, sed in civitate potestatem etiam propriam participant, (qualem habent e. g. sæpè dicti Status nostri Imperii) subditos *immediatos* potiùs vocandos velint, & ita inter subditos *immediatos* & *non tantùm privatos* distinguant. Sed subditi *mediati*, atque *tantùm privati* sunt omnes rustici e, g. ut & cives, quibus nullum officium publicum vel civile est commissum. De *Nobilibus*, qui sub Serenifs. Electore Ducibusque Saxoniæ, & quibusdam Statibus Imperii Romano-Germanici aliis habitant, eorumque subditi vel mediati vel immediati sunt, indeque vel *Amptsassii*, vel *Schriftsassii* (quibus nominibus scilicet in hôc forô utuntur) vocantur, hoc argumentum insigniter illustrantibus, quô discrimine, quibusve privilegiis inter se differant, videri possunt Doctores Juris publici, & inter eos cumprimis nomen nobilissimum, Theod. Reinking. *tractatu aureô de Regimine seculari atque Ecclesiastico.* Nobis enim colligere hæc omnia atque huic Dissertationi, quam aliàs brevissimis complecti constituimus, inserere nec ob temporis nec aliarum occupationum rationem licuit. *Lib. I. class. V. cap. XI. num. 47. & seqq.*

XXVII.

Porrò V. quemadmodum ex dictis, & aliàs etiam constat, plures & varii generis homines dantur in unô regnô atque civitate. Quod ita etiam necessum fuit, ob

 civi-

civitatis finem vel obtinendum, vel præsentem jam servandum. Civitas siquidem πλῆθός ἐστιν, οὐ τὸ τυχὸν, ἀλλὰ πρὸς ζωὴν αὔταρκες, ὥς φαμέν. ἐὰν δέ τι τυγχάνῃ τούτων ἐκλεῖπον ἀδύνατον ἁπλῶς αὐτάρκη τὴν κοινωνίαν εἶναι ταύτην, inquit optumè Aristoteles. H. e. *Civitas multitudo est non qualibet, sed quæ paratas habeat res ad vitam necessarias, ut vulgo dicimus. Si autem quidpiam horum desideretur, fieri non potest, ut simpliciter hæc communio suis rebus sit contenta.* Per res verò ad vitam necessarias intelliguntur tum opera illæ, quas fieri, quibusque parari oportet ea, quibus [illegible] singulorum ad sufficientiam (ceu dicitur) servatur atque defenditur, tùm deinde & opera ipsa, quæ aliàs etiam κτήματα nominari solent. ἀνάγκη τοίνυν, κατὰ τὰς ἐργασίας ταύτας συνεστάναι πόλιν. *Necesse igitur est, per operationes coagmentatam esse civitatem.* Quapropter δεῖ γεωργῶν τ' εἶναι πλῆθος, οἳ παρασκευάζουσι τὴν τροφὴν, καὶ τεχνίτας, καὶ τὸ μάχιμον, καὶ τὸ εὔπορον, καὶ ἱερεῖς, καὶ κριτὰς τῶν ἀναγκαίων καὶ συμφερόντων. *Opus est, agricolarum adesse multitudinem, qui parent cibaria, & opifices, & milites, & locupletes, & Sacerdotes, & existimatores rerum necessariarum & utilium.* Quæ sex hominum genera, civitati maximè necessaria, sive ὅσα τῆς πόλεσιν ἀναγκαῖον ὑπάρχειν, *quæ civitatibus inesse necessarium est*, eô locô sic Aristoteles enumerat. Præter quæ complura alia dantur, requisita pro ratione loci, quô degit civitas, aut etiam ad alios usus conferentia, ita verò simpliciter non necessaria. Nam ἄνευ τούτων τὸ ὅλον οὐκ ἂν εἴη, *sine istis, totum neutiquàm esset.*

VII. Polit. cap. IX. — *ibid.* — *ibid.*

XXIIX.

Pro ratione igitur atque differentiis harum operarum etiam distinguuntur subditi, & primò quidem in *servos* atque *ingenuos seu liberos*. Quanquàm illos, cumpri-

primis si φύσει seu *naturâ tales*, aut νόμῳ vel *lege* licet, attamen etiam ut illi ὅλως ἄλλȣ, *toti seu totaliter alterius*, nimirùm Domini sint, atque inter hujus κτήματα, *possessiones* pertineant, (quos posteriores vocârint prisci *mancipia*) malint aliqui *civium, qui subditi sunt, servos*, quàm ipsos *subditos* vocare. In *civium* certè numerum nullô modô veniunt, uti id & verbis modò allatis, & etiam alibi clarissimè innuit Aristoteles, cumprimis, quando *non posse eos participes fieri vitæ beatæ, aut vivere uti volunt*, docet. Cui optumè consentiunt leges civiles*, eosdem pro *nullis* habentes. Itemque Aristophanes in equitibus, quibus servos ac inquilinos ἄχυρα τῶν πολιτῶν, *paleas civium quasi granis adhærentes* dixit. Intereà verò quùm & in ipsos cadat subjectio atque paritio, sintque prætereà eorum, qui subditi vocantur, quique tàm suis personis, quàm & omnibus quæ habent, Majestati subsunt, nulla fortè evidens ratio nomine subditorum ipsos non insigniendos esse obtinebit. Quin etiamsi sic vocentur, manet tamen ordo, inter ipsos & Dominos qui est, salvus sartusque, neque eô nomine aliud quid attenditur, quàm quod sint ἀρχόμενοι.

I. Polit. cap. III. & IV.

ibid. cap. IX.

* *l. 3. §. 1. in fin. de cap. min.*

XXIX.

Liberi verò seu ingenui, ἐλεύθεροι Græcis, secundum operarum illarum, quas paulò ante meminimus, varietates atque differentias iterùm variè distinguuntur. Optumè verò omnes ad duo videntur posse revocari genera, & alii dici *Ecclesiastici*, qui sacris operantur, & alii *seculares*, qui aliis operis atque laboribus vacant. Illos appellant Canones *clericos*, à Græco κλῆρος, quod *sortem vel hereditatem* notat: quasi *electos in sortem Domini, divinis officiis mancipatos*. Quos ipsos proinde *Majestati civili non subjectos*, *neque ejus legibus vel statutis*

obligatos esse, quin *nec, si deliquerint, à secularibus puniri posse*, nonnulli Papicolarum contendunt, sed incerti, an illa exemtio omnimoda sit, an verò restricta saltim ad certas immunitates, & ex quô veniat, quôve fundetur jure, naturali, divinô, an humanô? Quorum verò omnium verbis ac rationibus nos nihil moti, ex adversô verò attendentes, neque in Politiâ olim Judaicâ Clericatum (quó modò scilicet vocamus cum istis) sustulisse vinculum Politicum, vel obligationem respectu superiorum, neque etiam ipsum nostrum Salvatorem θεάνθρωπον, in terris cum viveret, aut ejus discipulos atque Apostolos se illi subtraxisse, clericos autem non minùs quàm seculares bonô civitatis frui, putamus, subjectione etiam illos teneri, *subjectione*, inquam, *personali*, de quâ hîc nobis cumprimis quæstio; quidquid intereà sit de ipsorum *operis ab laboribus*, ab ipsômet Deô jussis atque imperatis. Nam hos simpliciter & omnimodis ejusdem potestatis arbitrio non subjacere, neque ab eâ pro arbitratu præcipi, ordinari vel mutari posse, vel ipsa illa ratio evidenter docet. Plura de hoc argumento legere qui cupit, adeat inter alios Henningum Arnisæum * atque Hugonem Grotium †, viros in hoc literarum genere exercitatissimos, & hodiè & ferè sine paribus: qui ea, quæ diximus, non modò clarè explicant ac demonstrant, sed & variis Ecclesiasticorum Doctorum, nonnullorum etiam Pontificiorum testimoniis confirmant, & simul dissentientium argutias plenissimè confutant.

Becan. Theolog. Schol. Part. I. Tr. III. cap. VI. Qu. XI.

* *Comment. de subject. & exemt. Cler.*

† *Comment. de imp. summ. potest. circa sacra.*

XXX.

Sed quod *seculares* attinet, vocantur ii à Canonibus *laici*, à Græco λαός, *populus*, ridiculè verò atque absurdè ex nonnullorum (quorum meminit Summa Summarum Sylvestrina) conjecturâ à *lapis, quasi lapidei & duri, non faci-*

in voce Laicus.

facilè susceptivi impressionis literariæ. Sunt autem hi omnes reliqui post clericos, qui in civitate illâ degunt. Quorum ideò non modò major est numerus, sed & ulteriùs ratione laborum, quibus vacant, ulterior differentia, ut difficilimum sit, omnia genera enumerare atque definire. Constituuntur tamen & eorum duæ classes generales, & alteri vocantur *nobiles*, alteri *ignobiles, vulgares & plebeji.* *Nobiles* quasi *noscibiles* dicuntur, ob virtutem, quâ præditi præ aliis excellunt ac innotescunt. Nam sicut à *motu, mobilis*, sic à *noto, nobilis* derivatur Grammaticis, quasi *præ aliis notus.* Et in communi vitâ quidem quodcunque eximium ac excellens in aliquâ re, bonum vel malum, honestum vel inhonestum, laude vel culpâ ac vituperiô dignum fuerit, appellari consuevit *nobile.* Unde hôc sensu à Liviô * *inimicitiæ nobiles*, à Donato † *meretrices nobiles*, vulgò ab Historicis *Poppea*, quæ omnem pudorem ejuraverat **, *Quintilla*, quæ nunquàm virginem se meminerat ††, & talismodi libidinosæ *Thaides aliæ, scorta nobilia* dicuntur. De quibus verò loquutionibus si audimus, non immeritò recordamur, quæ alicubi Dominicus de Flandriâ, ordinis Prædicatorum Doctor * dicit: *Aliquando*, inquiens, *aliquis dicitur perfectus secundum virtutem, non propriè, sed metaphoricè sive transsumtivè, aut secundum similitudinem: ut aliquis dicitur perfectus latro, & perfectus calumniator, quando in nullo deficiunt ab eô, quod competit eis, in quantum sunt tales. Nec hoc est mirum, quia aliquando mali dicuntur boni & optimi per quandam similitudinem: sicut dicimus, quod iste est bonus & optimus latro, & optimus calumniator: quia scilicet sic se habent in suis operibus mali, sicut boni in suis operibus. In his autem oppositum potest glossari per oppositum, per* glos-

* *Lib.* IX. *de bell. Macedon.*
† *in Hecyr.*
** *Tacit. Lib.* XIII.
†† *Rolbac. A. V. cap.* XIX. *n.* 25.
* *in V. Metaph. Qv.* XVII. *art.* I.

glossam Orlianensem, quæ destruit textum. Possumus enim dicere glossando, bonus latro, i. e. malus: melior, i. e. pejor: optimus, i. e. pessimus. Politicis aliàs *nobilis* is dicitur, *qui virtute vel præclaris actionibus conspicuus atque illustris, præ aliis hominum sermone celebratur.*

XXXI.

Enimverò quùm variæ sint virtutes, nec omnes fortè nobiles homines reddant, quæritur, quænam ad nobilitatem requiratur? Si enim omnis, qui modò virtute aliquâ excellit, nobilis est, nulla erit distinctio inter nobiles ac blebejos, cùm & blebejorum plurimi (omnes scilicet opifices) artes calleant, iisque innorescant. Jam autem ars etiam ex virtutum numerô est, ceu constat ex Ethicis. Sciendum igitur, omnes quidem virtutes, tàm morales, quàm intellectuales, ejus esse conditionis, ut nobilem quem facere possint, aliam tamen præstare alii, atque artes manuales illas, quæ organis corporeis sua edunt opera, & maxumam partem etiam organicæ sunt, prorsus hinc facessere. Ita sanè ipse Aristoteles alicubi de Polyarchiarum generibus differens, & ex communi hominum sententiâ civium duas summas partes constituens, τὸν δῆμον, καὶ τοὺς λεγομένους γνωρίμους, *populum, & qui dicuntur noti seu clari*, ad *populum* refert *agricolas, opifices, mercatores & nauticos.* δήμου μὲν εἴδη, scribit, ἓν μὲν οἱ γεωργοί. ἕτερον δὲ, τὸ περὶ τὰς τέχνας. ἄλλο δὲ, τὸ ἀγοραῖον, τὸ περὶ ὠνὴν καὶ πρᾶσιν διατρῖβον. ἄλλο δὲ, τὸ περὶ θάλατταν. καὶ τούτου τὸ μὲν πολεμικόν. τὸ δὲ, χρηματιστικόν. τὸ δὲ, πορθμευτικόν τὸ δὲ, ἁλιευτικόν. *Populi species, una quidem sunt agricolæ: alia autem, qui artes colunt: alia forensis, qui occupantur in emendô & vendendô: alia, qui versantur in mari: atque hujus hæc quidem dedita bellô: hæc verò quæstui incumbens: hæc constat è portitoribus: hanc confici*

IV. Polit. cap. V.

ficiunt piſcatores. Ex adverſô verò *clarorum* (quos nos in antecedentibus cum aliis *nobiles* vocavimus) genera enumerans, nominat (1.) *divites*, ſeu *qui divitiis*, (2.) *qui generis antiquitate*, (3.) *qui virtute & rebus geſtis*, & (4.) *qui inſtitutione ac doctrinâ antecellunt.* τῶν δὲ γνωρίμων, *ibid.* (inquit) πλοῦτος, εὐγένεια, ἀρετὴ, παιδεία. *Clarorum ſpecies conſtituunt divitiæ, nobilitas, virtus, diſciplina.* Recenſet ſcilicet ea, quibus præditi nonnulli, in populô præ cœteris inclareſcunt, aut ſaltim claritudinem affectant. Nam hoc eſt ibi ejus inſtitutum, differentias oligarchiarum exponere: ad quod jam ſufficit hiſtoria eorum, quæ nobilitatem vel ſpectabilitatem aliquam ſolent addere. Inter quæ quidem ſunt iſta quatuor. *Singula enim* (ut benè explicat P. Victorius) *ea poſſeſſa ab aliquibus, ornant* *Comment.* *eos, atque efficiunt claros: etſi non omnes eôdem pactô, ne-* *in d.l.p.356.* *que ita meritò, ac jure optimô.*

XXXII.

Sed quùm adlatis ex Ariſtotele verbis non contineantur omnia hominum, nobilium atque ignobilium genera, ſed præter ea & alia in civitatibus occurrant, occaſio hîc foret diſſerendi prolixius de eorum *numerô*, ut & *ordine*, qui inter eos eſt, cumprimis quod *dignitatem atque præſtantiam* attinet. Fortè enim & nobilium & ignobilium alter alterô eſt dignior, nec ſingulos æqualiter judicare licet. Quin videmus, inter Scriptores hodieque de ordine illô diſputari, & primum, de *literatis & militibus*, ſive de iis, qui *arte*, & iis, qui *Marte* clari ac nobiles ſunt, utri ſint digniores? Deinde controvertitur & de ordine, qui inter literatos intercedit: quùm ut literarum, ſic & literatorum plura eſſe genera conſtet: qui ergò præſtent ac ſint digniſſimi? Et Theologis quidem, nemo, quem ſciamus, litem movet, aut primum lo-

cum dubium reddere audet. Divina enim tractant, & finem nostrum ultimum atque supremum. At reliquarum trium facultatum (uti vocantur) *Jurisprudentiæ* scilicet *Medicinæ* atque *Philosophiæ* cultores, aut etiam Doctores quod attinet, de iis non una omnium est sententia, sed à nonnullis adferuntur rationes, quæ his, ab aliô, quæ istis, ab aliô verò iterum aliæ, quæ illis potiùs favent, majoremque dignitatem tribuendam suadent. Similiter etiam plebeji omnes nolunt eôdem haberi locô, & cumprimis de prærogativâ certant inter se *Mercatores, Pharmacopolæ, atque Chirurgi:* quemadmodum de litibus inter eos sæpissimè exortis testimonia abunde præbent acta fororum civilium.

XXXIII.

Verùm de his omnibus si agere institueremus, longô & tempore & labore opus foret. Etiamsi fortè, si ea, quæ de artium differentiis ac ordine Doctorum omnium doctissimus Aristoteles (*1. Metaph. cap. I. & II.*), rationibus certè non vulgaribus, tradidit, quæque etiam priscorum temporum de iisdem judicium statuit, sequi vellemus, ordinem nobilium definire tàm difficilè non videatur. Sed enim cùm ob multas causas nobis prolixioribus esse nunc non liceat, Lectorem cupidum ad Politicos & Juris Publici Doctores remittimus, cumprimis verò Henningum Arnisæum *, Theodorum Reinkingium **, & Joannem Limnæum †, qui communiorem sententiam, & rationes, quibus probatur, optimè explicant. E quô ultimô, illustrissimæ hujus Salanæ in Franconiâ fulgente lumine incomparabili, solum judicium de Philosophis ut referamus, sic de iis ††: *Hi, inquit, si nostrô tempore antiquum Philosophiæ splendorem tuerentur, & Pythagoræ, Platonis, aliorumque premerent vestigia, vel omnium*

* *Doctr. Polit. Lib. I. cap. XII.*

** *De reg. sec. & Eccl. Lib. I. class. V. cap. XI.*

† *Jur. Publ. Tom. I. Lib. IIX. cap. IV.*

†† *ibid. n. 39.*

um primi, vel statim post Theologiam locandi. Erat enim Philosophia rerum divinarum atque humanarum encyclopædia, quæ comprehendebat, quidquid mens humana scire aut capere poterat. Sed nunc artium liberalium rudimenta tantùm tradit, & subalterna magis est, quàm collateralis aliis superioribus disciplinis. Unde etiam in Iure nostrô differentia est inter Philosophos, & artium liberalium Professores, arg. l.1.pr. & §.4.ff. de extraord. cogn. l.6.§.3. & 4.ff. de excus. Besold. d. lib.1. Polit.c.12.§.3. n. 37. & hodiè rari sunt, qui philosophantur. d. l.6.§.7. de excus. Quanquàm hanc sententiam nec probare nec improbare, sed judicandam aliis linquere velimus. Quod verò attinet, quem primùm nominavimus, *certum & sufficientem in civitate subditorum generum numerum*, equidem de illô nihil in genere statui posse videtur: quùm non modò artes, sed simul quoque officia quotidiè videantur multiplicari, semper etiam respiciendum sit ad loca, in quibus constituitur civitas, quorumque ratio diversa nunc hujus, nunc verò alterius generis artis homines exigit. Intereà quæ potiora & magè necessaria sunt omnibus, fortè non dubium, quin numerô illô Aristotelicô contineantur.

XXXIV.

De *nobilibus* paucula quædam addemus, quùm eorum ortum atque conditiones nôsse non exiguæ videatur utilitatis. Diximus autem jammodò, nobiles olim dictos fuisse, *qui optimô vitæ genere præ aliis excellunt ac innotescunt*. Quæ v. significatio nostris temporibus adeò frequens esse non videtur, dum nobilitas apud vulg⁹ pro singulari gradu dignitatis habetur, Nobilesq; dicuntur, qui *ob singulares virtutes, præclaraque merita eô ornati & præ aliis quasi notati, aut saltim ab his talibus orti ac pro-*

 geni-

geniti sunt. Et quidem videtur hæc dignitas potissimùm venisse à fortitudine bellicâ, quùm hâc qui inclaruerunt, quasi optimè de populo & regno meriti semper magnis honoribus fuerint affecti atque insigniti. Docetque id clarè germanum **Adel**/ & inde deductum adjectivum **Edel**/ aut, ut alii scribunt, **ädel**/ maximè, si vera est nonnullorum conjectura, illud à voce **Adeler** descendere: quasi velut hæc, avium princeps, volatu, potentiâ & generositate cœteras cunctas longè excedit, sic & nobilem animi magnitudine atq; virtutibus excellere deceat, idque operam dare, ut ad modum Aquilæ evolet, & supra vulgus se elevet. Aut etiamsi hoc non ab illô, sed illud potiùs (**Adeler**) ab hôc (**Adel**) deducatur, veluti contendere videmus Magnificum Limnæum. Sic enim ob suam præ cœteris avibus dignitatem, proportione quâdam ad homines nobiles, dicitur quasi (ut Limnæus loquitur) **der Edle Herr**/ *h. e. nobilis avis.* Priorem interea originationem probare videtur Nobiliss. Casp. à **Lerch**/ inde suspiciens, quùm aquila in insignia Augustissimorum Imperatorum Romanorum sit relata, in ordine ad hunc appellari nobiles **Edelleute.** Sic scilicet scribit: **Warumb hat der Käyser den Adler / als daß Er der höchste fliegende Vogel ist / und sie sich vor Ihn fürchten / und ein Auffsehen auff Ihn haben? Warumb heissen die von Adel Edelleute / das ist / Adlers-Leute? daß sie zum Adler gehören / helffen Ihn mit dem Schwerdte verthädigen und handhaben?** Quæ verba etiam leguntur apud Illustriss. Reinhardum, Comitem à **Solms** / qui ex nomine illô **Adel** etiam **Edelstein** dictum putans, inquit: **Die Stein in den Ringen heist man dem Adel nach / Edelstein / gleichwie man sagt / ein Edelmann. Warumb heist man sie Edelstein? Darumb / daß man saget / sie haben Tugenden an Ihnen / als**

l. c. Lib. VI. cap. I. n. 11.

Tract. de ordin. Eqvestr.

in Beschreibung des Adels / *p. 10.*

als einer von dieser / der ander von jener. Est post hæc addit optimum monitum hoc: **Also sol der Adel auch von Tugenden seyn.**

XXXV.

Solent verò nomine nobilium etiam Politicis nunc indifferenter omnes vocari, qui ejusmodi genere, vel virtute ac meritis clari, eminentiori gradu inter subditos sunt constituti, nunc verò non omnes, sed saltim certi aliqui. Sic enim (notante optumè Arnisæo) *& Marchionem Misnensem Innocentius III. vocat nobilem virum, cap. constitut. de test. & attest. & Innocentius IV. Comitem Bononiensem, Regis Portugalliæ fratrem, nobilis nomine citat, cap. Grandi. in pr. de suppl. neglig. præl. in sext.* Sed strictiori significatu personæ aliæ, istis inferiores, saltim eô nomine veniunt, Germanis dictæ **Edelleute / von Adel / Junckern**; cùm ex adversô cœteræ, meritis vel genere superiores habitæ, dignioribus nonnullis titulis sint insignitæ. De quô nominum numerô ac diversitate sic alicubi Arnisæus: *Quia ambitio hominum plures honorum gradus excogitavit, quàm suppetant nomina, hinc factum, ut ex consuetudine coacti fuerint communibus titulis peculiares affingere gradus, qui in significatione nativâ non continentur. Ostendit Tiraquellus cap. II. de Nobil. nomina: Clarus, Illustris, Spectabilis, Generosus, Nobilis, apud Latinos de universâ nobilitatis latitudine accipi. Jam olim tamen, & nunc multo magis, quando titulorum proventus luxuriat uberrimus, alium atque alium dignitatis gradum designant. Clarissimatus enim honorem designat Senatorium in jure Romanô, seu consularem. Spectabilitas olim denotavit honorem Ducalem. Illustrium verò ordo alius fuit, & superillustrium: quanquàm hunc titulum in jure reperiri negat Alciatus.* Sic

Doctr. civil. Lib. I. c. XII.

ibid.

& inter illustres personas alias vocari Barones, alias Comites, Principes, Burggrafios, Marchiones, Duces, Archi-Duces, Electores, notum est; quarum verò vocum differentias explicare justo longiùs fuerit.

XXXVI.

De nomine Junckern/ quô & nobiles venire modò diximus, & communiter plurimi utuntur, placet re-
l.c. num. 14. ferre quæ pulcerrimè disserit sæpè laudatus Limnæus. *Nec infrequens* (inquit) *apud nostrates est, Nobiles* Junckern *vocari, quasi* Junge Herren: *quod pro subjectô non interpretor, juniores Domini, sed, minores, quod respectu majorum,* der grossen Herren/ *hoc est, Principum, Ducum, Comitum, Baronumque, ipsi minores sint & dicantur Domini.* Jung *enim &* klein *non raró significationem apud nostrates unam habent, atque convenien-*
num. 15. *tem.* Et addit: *Illud non diffiteor, etiam ætatis respectu nonnunquam* Junckern *dictos: at illud potissimùm in illustribus usitatum deprehendo fuisse familiis, in quas & fortassis primùm nomen* Junckern *usus introduxerat. In diplomatibus Ducum Brunsvicensium de anno MCCCLXXIV. legitur:* We Junckern Frederick/ Berndt/ Herik/ und Otto/ Bröder van der Gnade Godes/ Hertzoge tho Brunswig und tho Lüneberg. *Et in alio de annô MCCCC.* We Juncker Berndt/ unde Ehr Hinrich von der Gnade Godes/ Hertogen tho Brunswig und tho Lüneberg. *Extant in actis homagialibus* der Stadt Braunschweig *Tom. I. In pactis hereditariis Comitum Holsato Schamburgiæ, & illustrium Comitum Sternbergæ Anno MCCCLXX. confectis, subscriptio talis est:* Graff Henrich von Sternberge/ ꝛc. Juncker Simon von Sternberge/ Dechant zu Paderborn/ und Juncker Johann/ Graff zur Sternberge. *apud Spangenberg. in Chron.*

Chron. Schaumburg. l. 5. c. 18. & Goldast. l. 2. de major. c. 7. n. 14. Statutô Comitum ab Hanau *cautum fuisse memorat Knich. in encyclopad. c. 1. n. 102. ut primogenitus solidô jure sibi ditionem vindicaret, atque titulô* Herr *uteretur, fratres autem reliqui juniores* Junckern *appellarentur.* Denique subjungit idem: *Temporis progressu eadem vox communi loquendi more, sed aliô significatu, ad nobiles transiit: hodiéque utrisque cancellis perruptis, etiam plebejis, ab adsentatoribus & famulis, quoque attribuitur, quibus idem est dicere,* mein Juncker/ mein Prinz/ *quod aliis ad antiquam normam,* mein Herr. *Unde Nobiles eadem à dictione nonnullis in locis incipiunt abhorrere, dum, quod proprium habebant, profusâ liberalitate aliis communicari audiunt.* Hactenus Nobiliss. Limnæus. *num. 16.*

XXXVII.

Quod igitur nobilitas, ex quâ hodiè aliqui dicuntur nobiles, ab illâ, de quâ suprà diximus, multùm differat, ultrò quidem sic constat. Neque enim qui secundum illam esset nobilis, nobilis statim hodiè dicitur, neque etiam qui hodiè nobilis vocatur, semper illius nobilitatis habet notam aut conditionem. Quod ipsum iterum monet idem Nobiliss. Limnæus, illam appellans nobilitatem Ethicam, hanc verò Politicam. *Tenendum,* (inquit) *nobilitatem aliam Ethicam esse, aliam Politicam. Illius causa virtus est, quæ cultorem suum nobilem facit nullius aliâ accedente operâ. Et de illâ intelligenda sunt omnia Veterum dicta, quæ nobilitatem solam atque unicam esse virtutem constituunt. Politica licet & ipsa à virtute sit, esseque inde debeat, attamen virtutem non ut efficientem habet, sed ut concomitantem. Seu, ut pleniùs dicam, virtus politicè non nobilitat, sed Principis benigna voluntas, legis consuetudinisque efficacia, quæ ex virtuoso-* *ib. num. 19.*

rum

rum chorô non quemlibet indiſtinctè, ſed quem velint, plebejâ eximunt conditione, atque Nobilium transferunt in claſſem.

XXXVIII.

Cœterùm & hi nobiles iterum non ſunt uniusmodi, dum nonnullis à ſummâ civitatis, aut etiam ſubornatâ vel vicariâ poteſtate ea dignitas eſt collata, in aliquos autem à parentibus eſt derivata ac quaſi traducta. Qui poſteriores vulgò *genere nobiles,* aut *nobiles nati* dicuntur, atque ſi nullis virtutibus vel meritis clari fuerint, *genere tantùm nobiles:* ſicut ex adverſô, qui à nobilibus nati, ſimul & ipſi optumâ vitâ fulgent, *genere & virtute ſimul nobiles:* illi verò, qui nobilitatis gradum ipſi acceperunt, *nobiles facti.* Ubi jam graviter controvertitur, an *omnes* pari ambulent paſſu, & *veri ſint nobiles?* Et quidem de iſtis, qui *genere & virtute ſimul nobiles* ſunt, h. e. à nobilibus parentibus non modò orti ſunt, ſed & ipſi præclaris virtutibus animique dotibus præ cœteris emicant, nemo, quem ſciamus, dubitat. Sed de primis illis, *genere tantùm nobilibus*, ut & ultimis, quos *nobiles factos* diximus, dubium exiſtit.

XXXIX.

Et quidem quod primos illos, à nobilibus ſolum natos attinet, illi veri nobiles ideò non videntur, quod virtute, quâ nobilitas vera fundatur, careant, nulliſque meritis, nullis inſignibus actionibus clari fiant. Quâ de causâ etiam in hanc nobilitatem graviter invecti veteres plurimi, eandem pro nullâ habuiſſe leguntur, cumprimis Juvenalis*, Ovidius**, Horatius†, & Seneca††, omnes eô conſpirantes, *nil referre, quali quisque parente fuerit natus, dummodò ſit ingenuus & virtoſus.* Scilicet, ut Seneca* inquit, *non facit nobilem atrium plenum fumo-*

* *Sat. IIX.*
** *V. de Pöt.*
† *I. Sat. VI.*
†† *Epiſt.* XXXI. XLIV. *& alibi paſſim.*
* *Epiſt.* XLIV.

fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit: nec, quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem, cui ex quâcunque conditione supra fortunam licet surgere. Qui proinde * & hôc monitô adloquitur suum Lucilium: *Puta, te non esse Equitem Romanum, sed libertinum: potes hoc consequi, ut solus sis liber inter ingenuos.* Quâ de causâ Hostiensis JCtus † vocat nobilitatem hanc *nobilitatem stercoris*, & Galenus †† alicubi de eâ disserens, comparat *numismati, quod in suâ tantùm valet Republicâ, in alienâ autem est adulterium.* In quem ferè sensum etiam Aristoteles * loquitur, Barbaros appellans εὐγενεῖς οἴκοι μόνον, *nobiles domi tantùm*, quùm alii ex adversô tales sint ὐ μόνον παρ' ἀυτοῖς, ἀλλὰ πανταχῦ, *non modò apud seipsos, sive in suis sedibus, sed ubique*, indeque distinguens inter εὐγενεῖς καὶ ἐλευθέρους ἁπλῶς, καὶ ὐχ ἁπλῶς, *nobiles atque liberos simpliciter, & non simpliciter.* Ubi profectò, si ea est nobilium genere tantum à nobilibus aliis differentia, ut cùm hi sint nobiles *simpliciter*, illi ex adversô sint nobiles non simpliciter, sed *cum additô*, (nobiles scilicet *domi*, *& apud suos*) neutiquàm videntur veri nobiles, uti nec nobilitas ex solo genere, vera nobilitas. Hæc enim aliàs est ratio eorum, quæ dicuntur *cum addito, & non simpliciter:* sicuti patet inter alia exemplô *cadaveris*, quod dicitur *animal* cum addito, *animal mortuum*, non autem *animal* absolutè vel simpliciter, ideoque nec est verum animal, sed potiùs *non-animal*.

* *ibid.*

† *in cap. venerab. de praben.*

†† *Exhortat. ad bon. art.*

* *I. Polit. cap. VI.*

XL.

Deinde de *nobilibus factis* (quos à Romanis olim *novos homines* appellatos fuisse, ex Appianô docet Laurent. Humfredus †) rem dubiam id facit, quod non iisdem gaudeant privilegiis cum aliis, qui à nobilibus parentibus nati sunt. Nam (ut B. Prætorius *, & ex hoc plur.

† *Lib. I. de Nobil. p. 98.*

* *Phil Pract. Part. Spec. sect. VII. p. 329.*

Polit. succ. plur. Rever. Dn. Cellarius referunt) *in Collegia Eccle-*
Lib. II. cap. *siastica superiora non solent cooptari, qui non nobilitatis*
XIIX. §. 18. *sua ex lineâ quoque maternâ serie longâ documenta dare possunt: nec etiam ad ludos equestres admittuntur, qui non ex quatuor avis tàm paternis, quàm maternis suam nobilitatem demonstrare queunt.* Constitutiones talismodi atque edicta variarum civitatum refert Nobilissimus Limnæus.
L. c. cap. V. Insigni itaque intervallô distant nobiles *facti* à *natis*, nec æquè videntur nobiles.

XLI.

Verùm ut ad hæc respondeamus, & priùs quidem ad ultimum, exempla allata nil probant aliud, quàm *de quarundam gentium constitutionibus recens factos nobiles in quibusdam actibus postponi aliis.* Id quod verò nihil ad rhombum, cùm quæstio nunc sit, *an æquè veri nobiles sint facti & nati?* Id quod quidem si eâ ratione rectè negatur, eôdem jure negabitur, multos etiam à parentibus, avis, proavis & abavis nobilibus natos non esse veros nobiles, quùm scilicet & horum multi à ludis istis, de earundem gentium statutis ac consuetudine excluduntur.
l. c. num. 95. & seqq. De quibus, qui volet, eumdem Limnæum videre potest. Sequetur etiam, nec nobiles, qui *subditi mediati* sunt, nec iisdem juribus ac immunitatibus utuntur, quibus utuntur immediati, veros esse nobiles: cùm eadem hîc sit ratio. At verò hoc quis dixerit? Et quid? Quod si expressa pateat Imperatoris voluntas, nobiles recens creati etiam ad torneamenta sint admittendi?
ib. num. 53. Docet id apertè formula privilegii, adducta itidem à Limnæo. Proinde ut secundum hujus mentem decidamus quæstionem,
num. 54. *quamvis communiter & indistinctim, etiam speciali hâc Principis gratiâ muniti, à cæteris Nobilibus despectui habeantur, illud tamen facti est: quod jus*

non

non tollit. Et habent isti, præsertim si virtute nobilitatem consecuti sunt, quod contemtoribus suis, æquè ac C. Marius apud Sallustium, reponant: Contemnunt novitatem meam: ego illorum ignaviam: mihi fortuna, illis probra objectantur. Quodsi jure me despiciunt, faciant idem Majoribus suis, quibus, uti mihi, ex virtute nobilitas cœpit. Nunc videte, quàm iniqui sint; quod ex alienâ virtute sibi arrogant, id mihi ex meâ non concedunt. Scilicet, quia imagines non habeo, & quia mihi nova nobilitas est: quam certè peperisse, quàm acceptam corrupisse, melius est. Plura in hunc sensum proferunt Henningus Arnisæus*, Petrus Gregorii**, & D. Cellarius†, qui possunt videri.

* *l. c.*

** *l. c. Lib. IV. cap. II. num. 9.*

† *l. c. §. 17.*

XLII.

Quantum ad nobiles solô genere, contra hos rationes sunt multo probabiliores. Neque ullus saniorum Politicorum est, qui in iis non desideret aliquid, aut maxumo vitio vertat illorum inertem vitam. Attamen, quùm nobilitas pro gradu sumta, dependeat à voluntate atque auctoritate summæ potestatis, collataque sit eâ fini, ut tàm in natos, quàm qui nascentur ab hisce, propagetur, equidem ideò statim negari nequit ei, à quo abest virtus. Unde licet in hoc homine non fundetur virtute, fundatur tamen virtute parentum atque Majorum. Et quid fiet aliàs sexui sequiori, cui etiam tribui svevit nobilitas, certè verò minimè ex virtute? Quid item ipsis illis, qui ob virtutem & benè merita nobilitatem nacti, subsequentib9 deinde temporib9 mutant mores, & incipiunt vitiosè vivere? Cessabitne etiã tunc cum virtute nobilitas? Et qui modò nobilis fuit, nunc dicetur ignobilis? Nullane etiam fœmina reverâ salutanda erit nobilis? Absit, ut hoc cogitemus. Proinde distin-

guimus hîc cum Nobilis. Limnæô inter nobilitatem *Ethicam* atque *Politicam*, atque hanc ortam licet primùm ex virtute, attamen & propagari in posteros, atque esse posse quoque sine virtute dicimus. De quâ quidem
§. XXXVII. distinctione verba Limnæi suprà attulimus. Nec dubitamus, idem sensisse Veteres quosdam, dum εὐγενεῖς suos à claris vel nobilibus aliis distinxerunt: prout hoc ex multis locis Aristotelicis, quorum aliqua etiam hactenus à nobis adducta sunt, liquet. Quid verò ad exemplum de *Barbaris domi saltim, & non ubique nobilibus*, respondendum sit, videbimus datâ occasione in conflictu.

XLIII.

Etiamsi verò hos tales *natos* nobiles esse ob rationes istas defendamus, non possumus tamen & ipsi vitam eorum detestari, ac deplorare, quod nobilissimum illum gradum, multô sudore sœpe largôque sanguine cum applausu omnium à clarissimis majoribus partum, turpi inertiâ non modò, sed & interdum actionibus vituperiô potiùs quàm laude dignis, collutulent, devenustent, deturpent. Sic enim hereditatem, quam augere debebant κατὰ δύναμιν, & per naturam etiam poterant, perdunt, aliis, quibus facem ad egregia facinora prælucere debebant, exemplar præbent similis socordiæ, eôque civitatem bonis civibus, & simul non exiguâ parte sui finis privant, agnatis, cognatis, familiæ, totique nobilium generi maculam inurunt, seque justis plebejorum, à quibus aliàs coli atque suspici debebant, animadversionibus exponunt. Quod certè ferè contra naturam est, nullôque modô probandum aut excusandum.

XLIV.

XLIV.

Sed ut sit horrendum hoc, nullum tamen tempus fuit, quô non contigerit. Quin tàm frequens omnibus terrarum locis fuit, ut occasionem dederit trito isti dicteriô, quô hodieque in vulgus utimur: *Heroum filii noxa*, de quo plurium Scriptorum justæ querelæ, simul & explicationes prostant. Placet nunc adponere, quæ super id elegantissimè commentatus fuit CL. Jo. Meursius, iisque hunc de nobilibus discursum finire. *Profectò*, (scribit hic) *nimis sæpè præstantissimorum virorum liberi in summam provoluti infamiam, acceptam à Majoribus lucem exstinxerunt, tanquàm ad subvertenda ea nati, quæ virtute ipsi pepererant. Majoribus posterisque rei, censum avitum nobilitatemque in se demerserunt, gurgites & sepulcra patrimoniorum. Rem indignam Hercules! Meliùs cum illis actum, qui sine posteritate de rebus humanis excesserunt. Quid illustrius Scipione Africanô mihi dabis? Quid P. Fabiô Maximô Allobrogicô? Quid M. Tulliô Cicerone? Excepere horum splendorem non homines, sed portenta potiùs nobilia quædam, teterrimis ignaviæ ac nequitiæ sordibus involuta. Felix Antoninus Philosophus fuisset, si illud omnis turpitudinis exemplum, Commodum, imperii heredem non reliquisset. Atque hos quidem tantos viros eô modô Fortuna exagitavit; &, cùm in ipsos nihil sibi liceret, in liberis ita protervè illusit. Alios, cum de pluribus facilis bonos eligendi esset potestas, aut judicium suum fefellit, aut præposterus quidam adfectus in errorem compulit. Itaque Augusto & Trojano nec adoptivos habere bonos contigit, idque ad majorem populi indignationem, qui æquiore ferre animô solet, si quem parùm feliciter genuerit Princeps successorem, quàm si quem malè elegerit. Optimô jure exclamare possunt:*

Lib. de Gloriâ, cap. XXIII. pag. 87.

pag. 88.

ζηλω-

ζηλωτὸς ὅστις εὐτύχησεν ἐν τέκνοις.

Intuere etiam noſtrum hoc ævum, non invenies ſine eâdem labe. Nobiles multos videbis, paucos audies: multi cinguli jus habent, pauci meritum: majorum virtute deſtituti, gloriâ tumidi, à quibus deſcenderint, & planè obliti ſunt, & nimis meminerunt. Bradeæ olim jactanti apud populum nobilitatem ſuam, in calceis eam tantùm habere fuit exprobratum: & hos quoque iſtô dictô percutias. At quàm turpe eſt nomen habere ſine ſpecie? Homines, ut Laberius ille, verè ſepulcri ſimiles! Sed relinquam in luto ſuo deformes animas, quæ utinam tantum à majoribus lucis non accepiſſent; quorum quidem claritatem longiſſimè remotam ut contingere non poſſunt, ita neque infuſcare, aut contaminare: non herclè magis, quàm nitidum iſtum Solem cluacæ, aut alia quævis obſcæna loca, qui irradiat.

Ω μέλανες οὗτοι, θάτερον ζητεῖ γένος.

Hæc doctiſſimus Meurſius.

XLV.

Poſſent hîc plura addi, cumprimis de modo conferendi nobilitatem, ſive creandi nobiles, eorum inſignibus atque privilegiis, de genere item illorum peculiari, qui *Equites* vocantur, ut & de eâ nobilitate, quæ cum gradibus Doctoratus in artibus atque ſcientiis eſſe ſolet, & denique de modis, quibus amittitur nobilitas, quæque ſunt huic argumento cognata alia. Verùm enim verò, cùm hæc omnia prolixa nimis ſint, & ad eas diſſertationes, quæ de Nobilibus directè inſtituuntur, potiùs pertineant, animus autem nobis nunc fuerit ſaltim naturam atque conditionem Subditorum, qt. altera civitatis vel Reipublicæ pars ſunt, brevibus explicare, (quod quidem pro noſtro ingenii modulo hactenus fecimus)

cimus)

cimus) prætcrimus ea, Lectoremque cupidum ad alios, qui prolixos de Nobilitate atque Nobilibus commentarios conscripserunt, remittimus. Nunc autem expeditis, quæ instituti nostri ratio exegit, finimus, & locô cujusdam superpondii tria adjicimus problemata, examinanda, si occasio tulerit, in publicô conflictu.

I. An Studiosi, ex aliis territoriis in Academias venientes, ibique studiorum gratiâ commorantes, sint earum, aut Principum Nutritorum veri subditi?

II. An territoriô alicujus includi faciat subditum?

III. An interdum liceat subditis magistratus sui leges vel præcepta civiliter examinare ac judicare?

F I N I S.

DEO
SUPREMO SUBDITORUM
DOMINO

L. H. G.

No-

Nobilium flos, *Heügeli* perchare, cathedram
Dum scandis Sophicam, responsaque docta reponis
Objectis dubiis, quàm clara scientia rerum
Sedulitate fiet Tibi parta, laboreque duro,
Ostendis. Calcare viam hanc si gnaviter instes,
Nobilitate coruscabis geminâ, pariterque
Clarebis partâ virtute & sanguine avito.

Nobilissimo Dn. Respondenti, Convictori & Inquilino suo perdilecto, benevolentiæ testandæ ergò appon.

Johannes Musæus D. & P.P.

Generoso & Literatissimo

DN.

CAROLO CUNRADO ab Heugel/

EQ. SILES.

elegantissimæ hujus de SUBDITIS Disputationis Auctori:

SI benè sit Dominus, benè qui, quid subditus esset,
novit, eris qvondam naę benè Tu Dominus.
Sublimi generi civiles jungere & artes
Si pergas, quondam magnus eris Dominus.
Atque reges prudens cives, vel clarus in aulâ
vives, Virtutum Nobiliumque decus.

boni ominis faustaeque adgratulationis ergò scribeb.

CASP. POSNER, PRAESES.

W[illegible]

Was Euer Geist hier spielt/zeigt Fleiß/Kunst und Verstand:
Drüm sich die Fama denn so bald darein verliebet/
Und/wie sie sonst ihr Spiel mit Eurem Stamm verübet/
So trägt Sie dieses auch biß an das Sternen-Land.
Das hat der Adel fast wie erblich und zu eigen/
Daß Fama/ was Sie thun/ kan weniger verschweigen.

Seinem vielgeehrten Herrn Tischgenossen/
und sehr werthen Freunde/ sezzte dieses
in geschwinder Eil

M. Georg Göze/ Kais. Gekr. P.
der Phil. Fac. Adjunctus.

SO wird der Adelstand mit Ruhm geführt/
Wenn die Zahl der alten Ahnen
Und die schönen Sieges-Fahnen
Ein hochgelehrtes Buch beziert:
Wenn Schwerdt und Feder sich vermählen/
Und Tugend/ Kunst und Tapfferkeit/
Man kan in einer Reie zehlen:
Wenn/ wie bey dir/ dis alles zu erlangen/
HochEdler Freund/ was keine Flucht der Zeit
Und keine Macht zerstört/
So folget nichts denn Ehre die uns ziert;
Denn weil der Frühling schon so schöne Blumen
führt
Mit was vor Früchten wird dein Sommer prangen.

Welches aus Antrieb wahrer Freundschafft dem
HochEdelgebohrnen Herrn Autori sezte

Joh. George Frantz.

G Wer

WEr bey der Ahnen Glantz die Tugend ihm erwehlet/
Und denn ein kluges Buch nechst seinem Helm kan lehren/
Wie hoch bey Edlem Blut gelehret seyn zu ehren/
Dem wird die Ewigkeit noch in der Welt vermählt:
Denn wer die Tugend libt/den wil Sie auch erhöhen/
Sie läßt ihn/ob der Leib/sein Haus/ fällt/ nicht vergehen.

Der/eh der Morgenstern der Sonnen-Fackel weicht/
Schon bey den Büchern sitzt/ und durch sein wachsam sinnen
Der Amphitriten Haus/ und löbliches beginnen/
Wodurch diß Rund besteht/ mit tausend Nutz erreicht;
Dem muß/ob Jhn gleich erst die Unlusts-Dornen stechen/
Ein Licht/so Jhn der Welt darstellet/doch anbrechen.

Du bists/ **Mein libster Freund**/ der Weisheit Jhm erkiesst/
Dem Svada ihren Mund/die Wage Themis reichet/
Und der vor keiner Müh vor keinem Dorn erbleichet;
Es siht's/wer diß dein Werck **von Unterthanen** liest/
Wie hoch der Geister Flamm den Edlen Muth getriben/
Es lehrt die Schrifft was es vor eine Hand geschriben.

Doch ist noch nicht genung/daß *Jena* dich gehört;
Dir sol sich Thetis nicht/und Vesta nicht verhölen/
Du reist durchs **Teutsche Reich**/ und suchst die klugen Seelen
So **Franckreich/Engel- und Holland** als Götter ehrt.
Jch wündsche Glück! und daß/ nach deinem Fleiß und Reisen/
Du dich dem Vaterland und Fürst mit Ruhm mögst weisen.

Mit welchem/ aus Antrib wahrer gepflogener Verträwlikeit / seinen HochgeEhrten Herrn Bruder/ Tischpursch/ und Hertzens Freund/ nach Straßburg begleiten wollen

Hans Ernst von Pein/ Eq. Sil.

Gleich